208
G862

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TEXTUS ET DOCUMENTA

IN USUM EXERCITATIONUM ET PRAELECTIONUM ACADEMICARUM

SERIES THEOLOGICA

11

DE ORDALIIS

II. ORDO ET RUBRICAE. ACTA ET FACTA. SENTENTIAE THEOLOGORUM ET CANONISTARUM

COLLEGIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

PETRUS BROWE S. I.



ROMAE

APUD AEDES PONT. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

PIAZZA DELLA PILOTTA

1933

40729

IMPRIMI POTEST

Romae, 27 Martii 1933.

Adulfus Mariotti,
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 5 Aprilis 1933.

† Iosephus Palica,
Arch. Philipp., Vic. Ger.

ROMAE — EX SCHOLA TYPOGRAPHICA PIO X — ROMAE

INTRODUCTIO

Cum in primo opusculo decreta iudiciorum Dei ecclesiastica allata fuerint, non inconveniens fuisset in hoc altero leges civiles quae usquequaque a principibus saecularibus et ecclesiasticis, a municipiis et communitatibus editae fuerant congerere et in usum seminariorum instituere. Quod consulte omisi quia propter earum magnam multitudinem difficulter principium et ratio seligendi reperitur. Quare hic alii tantum fontes iique pauci exscribuntur.

Sicut in priore volumine etiam in hoc de iis iudiciis Dei solis agitur, quae ut medium indagandae veritatis in causis civilibus et penalibus applicabantur. Et primo quidem allegantur textus qui leges et normas quae actionem regebant necnon rubricas liturgicas exhibent. Secundo ex innumeris factis et gestis, quae in diversi generis fontibus narrantur pauca afferuntur quae ostendant quam longe lateque apud omnes nationes occidentales ordalia in foro civili et ecclesiastico diffusa fuerint. Denique dantur exempla doctrinae quam theologi et canonistae, diu haesitantes et in contrarias partes distracti, paulatim excoluerint. Ex quibus ii praesertim eliguntur qui magna auctoritate vigebant ideoque saepe citabantur vel quorum opera late divulgata magnum influxum in praxim exercebant.

TITULI ABBREVIATI

Bouquet Mart., Rerum Gallic. et Franc. scriptores — Recueil des historiens des Gaules et de la France. Nouv. édit. par Léop. Delisle (1869/94).

Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis (Niort 1883/87).

Liebermann E., Die Gesetze der Angelsachen (1903/16).

M G H = Monumenta Germaniae historica.

M G H Script U S = Scriptores rerum German. in usum scholarum ex M G H recusi.

P L = Patrologia latina, cur. J. P. Migne.

I. — Ordo et rubricae.

1.

Iudicium aquae frigidae [1].

Cum homines vis mittere in aquae frigidae ad probationem, ita facere debes. Accipe illos homines, quos voluntatem habes mittere in aqua, et duc eos in ecclesia, et coram omnibus illis cantet presbiter missam, et fac eos ad ipsam missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos sacerdos. coniurationem ita dicat: *Adiuro vos, homines, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per vestram christianitatem, quam suscepistis et per unigenitum filium Dei et per sanctam Trinitatem et per sanctum evangelium et per istas reliquias, quae in ista sunt ecclesia, ut non praesumatis ullo modo communicare neque accedere ad altare, si vos hoc fecistis aut consensistis aut scitis, quis hoc egerit.* Si autem omnes tacuerint et nullus hoc dixerit, accedat sacerdos ad altare

[1] Rubricae ferri igniti, aquae frigidae et ferventis in permultis qui 9.-13. saec. scripti sunt codicibus ritualibus totius ecclesiae occidentalis inveniuntur. Priores quidem editores enumerat *Kar. Zeumer*, qui optimam collectionem curavit. M G H Formulae 602. Praeterea nominandi sunt pro Germania *Ad. Franz*, Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter (1909) II 364; pro Anglia *E. Liebermann* I 386; pro ecclesia Mediolanensi *Marc. Magistretti*, Monumenta vet. liturgiae ambros. (1897/1905) III 492; pro Italia *Adalb. Ebner*, Quellen u. Forschungen zur Gesch. u. Kunstgesch. des Missale Romanum im Mittelalter (1896) 42, 106, 223, 226, 254. Imaginem aquae frigidae et ferri candentis ex codice Lambacensi 73 (saec. XII) reproductam habes apud *K. Zeumer*, Tab. 3.

et communicet. Postea communicet eos, quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat sacerdos per singulos: *Corpus hic et sanguis d. n. I. Chr. sit tibi ad comprobationem hodie.* Expleta missa, faciat sacerdos aquam benedictam et accipiat aquam benedictam, vadat ad illum locum, ubi homines probabuntur. Cum autem venerint ad ipsum locum, det omnibus illis bibere de aqua benedicta. Cum autem dederit, dicat ad unumquemque: *Haec aqua fiat tibi ad probationem.* Postea vero coniuret aquam, ubi illos mittit. Post coniurationem aquae exuat illis vestimentis eorum et faciat eos per singulos osculare (!) sanctum evangelium et crucem Christi. Et post haec de ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque hominem et proiiciat eos statim per singulos in aqua. Haec autem omnia facere debeat ieiunus neque illi antea comedant, qui ipsos mittunt in aqua.

Coniuratio aque. *Adiuro te, aqua, ... ut nullo modo suscipias hunc hominem N., si in aliquo ex hoc est culpabilis, quod illi obicitur, scilicet..... per ullum ingenium, sed fac eum natare super te, et nulla possit esse contra te causa aliqua facta aut ulla prestigatio, quae illud possit non manifestare...*

Coniuratio hominis. *Adiuro te, N., per invocationem d. n. I. Chr. et per iudicium aquae frigidae... te adiuro, ut, si tu de hoc furtu* (!) *scis aut vidisti aut baiolasti aut in domum tuam recepisti aut consentiens vel consentaneus exinde fuisti, aut si habes cor incrassatum vel induratum, aut si culpabilis inde es, evanescat cor tuum et non suscipiat te aqua nec ullum maleficium contra hoc prevaleat...*

Cod. Vaticanus Christinae reg. 612 (9./10. saec.); Cod. Parisiensis lat. 12235 (saec. X).

M G H Formulae 620.

2.

Iudicium aquae ferventis.

Romani propter thesaurum s. Petri et invidiam simul tulerunt Leoni papae oculos et linguam olim; at ille evasit vix de manibus eorum et venit ad imperatorem Karolum, ut eum adiuvaret de suis inimicis. Tunc imperator reduxit eum Romam

et restituit eum in locum suum, et thesaurum supradictum non potuit invenire aliter nisi per istud iudicium. Quod iudicium fecerunt b. Eugenius et Leo et supradictus imperator Karolus, ut episcopi et abbates et comites firmiter teneant et credant, quia probatum habuerunt sancti viri illi, qui invenerunt [1].

Inquisitus aliquis de furto, luxuria, adulterio vel qualicumque re alia, et nolens confiteri magistro, seniori vel misso senioris, ista erit ratio. Pergens sacerdos ad ecclesiam induat se vestimentis sacris, excepta casula, ferens in laeva sanctum evangelium cum chrismario et patrociniis sanctorum calicemque cum patena, exspectante plebe cum fure vel qualicumque crimine inplicato in atrio ecclesiae, et dicat adstanti plebi in ostio ecclesiae: *Videte, fratres, christianae religionis officium. Ecce lex, in qua est spes et remissio peccatorum, hic chrismatis unctio, hic corporis et sanguinis Domini consecratio. Videte, ne tantae beatitudinis hereditate et consortio privemini, inplicantes vos sceleri alieno; quia scriptum est:* « *Non solum, qui faciant, sed etiam qui consentiunt facientibus* », *digni sunt morte* [2].

Deinde vertens se ad sceleratum, dicat tam ei quam plebi: *Interdico tam tibi quam omnibus adstantibus, o homo, per Patrem et Filium et Spiritum s., per tremendum diem iudicii, per mysterium baptismatis, per venerationem omnium sanctorum, ut, si de hac re culpabilis es aut fecisti aut scisti aut baiulasti aut consensisti aut propter actam culpam praenominatam sciens factoribus iuvisti, ecclesiam non introeas, christianae societati non miscearis, si reatum nolueris confiteri admissum, antequam iudicio examineris publico.* Deinde signet locum in atrio ecclesiae, ubi ignis fieri possit ad caldariam suspendendam, in qua aqua bulliens efficiatur, ita tamen, ut prius locus ille aqua benedicta aspergatur necnon et aqua, quae in caldaria est, propter illusiones demoniacas. Et his peractis, imponat introitum: *Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum . . .*

Post celebrationem missae pergat sacerdos cum plebe, evangelio et sancta cruce ac turibulo et sanctorum reliquiis precedentibus, cum letania et 7 psalmis poenitentialibus ad benedi-

---

[1] Cf. I n. 5. — [2] Rom. I 32.

cendam aquam ita: *Deus, iudex iustus ... Omnipotens, sempiterne deus, qui es scrutator occultorum cordium, te supplices exoramus, ut, si homo hic culpabilis est de rebus prefatis vel, incrassante diabolo cor induratum habens, presumpserit in hanc aquam igne ferventem manum inmittere, tua iustissima veritas hoc declarare dignetur, et in eius corpore virtus tua manifestetur, ut anima illius per poenitentiam et confessionem salvetur. Et si per aliqua maleficia aut per herbas diabolica arte infectas peccata sua contueri voluerit, tua dextera hoc evacuare dignetur. Per unigenitum filium tuum ...*

Benedico te, creatura aquae, per ignem ferventem in nomine Patris et Filii et Spiritus s., ex quo cuncta procedunt; et adiuro te per eum, qui te ex quattuor fluminibus totam terram rigare praecepit et te de petra produxit et te in vinum convertit, ut nullae insidiae diaboli neque malicia hominis te a veritate iudicii separare possint, sed punias noxium et illaesum purifices innocentem. Per eum, quem nulla latent occulta, et qui misit te per diluvium super universum orbem, ut peccatores deleres, et adhuc venturus est iudicare vivos et mortuos et seculum per ignem.

Omnipotens Deus, te suppliciter rogamus pro huius negotii examinatione, quam modo hic inter nos ventilamus, ut iusticiae non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati. Et si aliquis hanc praesentem examinationem per aliquod maleficium aut per herbas terrae tegere et impedire voluerit, tua sancta dextera, iustissime Iudex, evacuare digneris. Per ...

Omnipotens, sempiterne Deus, qui tua iudicia incommutabili dispositione, iustus ubique iudex, discernis, tu clemens, in hoc tuo iudicio ad invocationem sancti tui nominis, quod a te intentio fidelium implorat, tua iustissima examinatione declara. Per ...

Postea vero fumo myrrhae odoretur et fumetur caldaria sive urceolus tam subtus quam et in circuitu et dicatur ista oratio: *Deus, qui maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propicius invocationibus nostris et elemento huic, multimodis purificationibus preparato, virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura, misteriis tuis serviens, ad diabolicas et humanas fallatias detegendas et ad eorum figmenta et argumenta dissolvenda atque ad multiformes eorum artes*

destruendas divinae gratiae sumat effectum. Discedant hinc omnes insidiae latentis inimici, quatinus veritas de his, quae a nobis, divini sensus et alieni cordis ignaris, requiruntur, tuo iudicio, expetita per invocationem tui sancti nominis, patefacta clarescat. Et ne, unde requirimus, innocens iniuste dampnetur, neque nocens a te, qui lux vera es, cuique non sunt obscurae tenebrae, et qui inluminas tenebras nostras, quaerentibus veritatem inpune possit deludere. Te, quem occulta non transeunt, ostendente et virtute tua, qui occultorum es cognitor, declarante, fiat hinc nobis in te credentibus veri cognitio manifesta. Per . . .

Tunc lavetur manus de sapone, et fiat adiuratio urceoli sive caldariae ante inmissionem manus: *Adiuro te, urceole, per Patrem et Filium et Spiritum sanctum et per sanctam resurrectionem et per tremendum iudicium Dei et per 4 evangelistas, si iste culpabilis est de illa causa sive in facto, sive in consensu, aquae se contremulent, et tu, urceole, te contornes. Per . . .*

Hic mittat manum in aquam, et postea sigilletur [1].

Cod. Bamberg. Ed. V 1 (11 saec.); Codex Eichstett. eccles. cathedr. (12 saec.); Liber pontificalis monast. Beccensis (12/13 saec.).

M G H Formulae 609; *E. Liebermann I* 420.

3.

Iudicium aquae ferventis.

. . . Et qui manum mittit in aquam ad ipsum examen, dicat orationem dominicam et signet se signaculo crucis, et festine deponatur ipsa aqua fervens desuper iuxta ignem, et iudex perpendat ipsam lapidem illigatam ad mensuram ill. infra ipsam aquam more solito; et sic inde extrahat eam in nomine Domini ipse, qui intrat ad examen iudicii. Postea cum magna diligentia sic fiat involuta manus sub sigillo iudicis signata usque in die tertio, quo visa sit viris idoneis et aestimata.

Ex Codice incognito edidit *Steph. Baluzius*, Capitularia regum Francorum (Parisiis 1677) II 644; M G H Formulae 614.

[1] Cf. infra n. 3, 4, 5, 7, 38, 43, 45, 76.

4.

Iudicium ferri vel aquae ferventis.

In simplo [1] unum pondus, in triplo tria ferrum aequiperet pondera. Et in illa adiuratione non adsint, ut prediximus, nisi ieiuni. Et dictis letaniis, sic sacerdos in loco, ubi ferrum accenditur vel aqua infervescatur, adiurationem initiando inchoet: *Deus, qui per ignem...*

Alia. *Deus, iudex iustus...*

Item tertia. *Deus innocentiae restitutor et amator... rogamus precibus, ut hoc ferrum ignitum ordinatum vel hanc aquam ordinatam... sanctificare digneris; ita ut, si innocens... manus vel pedes inmiserit, tua benignissima miseratione inlesus appareat; si autem culpabilis... iudicium tuum adierit aut per herbas vel quaecunque temptamenta sive molimina maleficiosa peccata sua contueri et defendere... voluerit, iustissime... domine Deus, ad hoc virtus tua... declaretur...*

His peractis, aqua benedicta cunctis adstantibus detur ad degustandum et aspergatur per totam domum. Et ferrum proferatur, quod a culpato coram omnibus accipiatur et per mensuram novem pedum portetur. Manus sigilletur, sub sigillo servetur et post tres noctes aperiatur. Et si mundus est, Deo gratuletur; si autem insanies crudescens in vestigio ferri inveniatur, culpabilis et inmundus reputetur.

In aqua fervente accipiat homo lapidem, qui per funem suspendatur, in simpla probatione per mensuram palme, in tripla autem unius ulne. Manus vero sigilletur et aperiatur, ut supra diximus in consecratione ferri [2].

Cod. Parisiensis lat. 943 (10 saec., originis forte eccles. Scireburnensis); Cod. Rotomagensis A 362. 221 (11 saec. in., olim pontificale ecclesiae Canaletensis); Cod. Roffensis, originis Cantuariensis (12 saec. in.)

M G H Formulae 714; *E. Liebermann* I 406.

---

[1] In simplici crimine et accusatione. — [2] Ordo exhibet rubricas anglo-normannicas.

5.

936-1000. *Fragmentum legis anglicae de iudicio aquae vel ferri ferventis* [1].

De ordalio precipimus in nomine Dei et precepto archiepiscopi et omnium episcoporum, ne aliquis intret in ecclesiam, postquam infertur ignis, unde iudicium calefieri debet, preter presbiterum et eum qui ad iudicium ire debet. Et sint mensurati IX pedes a staca usque ad mercam, ad mensuram pedum eius, qui ad iudicium ire debet. Et si aqua sit, calefiat donec excitetur ad bullitum; et sit alfetum [2] ferreum vel ereum vel plumbeum vel lemen (de argilla). Et si *anfeald tihla* [3] sit, immergatur manus post lapidem usque ad *priste*, et si triplex accusatio sit, usque ad cubitum.

Et quando iudicium paratum erit, ingrediantur ex utraque parte duo homines, et sint certi ut ita calidum sit, sicut prediximus. Et introeant totidem ex amba parte et consistant ex utraque parte iudicii ex longo ecclesie; et sint omnes ieiuni et ab uxoribus suis se abstineant ipsa nocte. Et aspergat super eos omnes presbiter aquam benedictam, et humilient se singuli ad aquam benedictam, et det eis omnibus osculari textum s. evangelii et signum s. crucis. Et nemo faciat ignem diucius quam benedicio incipiat; sed iaceat ferrum super carbones usque ad ultimam collectam; postea mittatur super staplos.

Et non sit ibi alia locutio, quam ut precentur sedulo Deum patrem omnipotentem, ut veritatem suam manifestare dignetur. Et bibat accusatus aquam benedictam, et inde conspergatur manus eius, qua iudicium portare debet; et sic adeat. Novem pedes mensurati distinguantur in ter ternos: in primo signo iuxta stacam teneat pedem suum dextrum, in secundo sinistrum; inde transferat dextrum pedem in tertium signum, cum ferrum proicitur et ad sanctum altare festinet.

---

[1] Haec lex sicut et aliae leges anglicae in lingua patria edictae erant; quarum translatio, vocata Quadripartitus, saec. 12. facta est — [2] Caldaria. — [3] Simplex accusatio.

Et post insigilletur manus eius et inquiratur die tertia, si inmunda sit vel munda in ipsa sigillatione.

Et qui leges istas infregerit, sit ordalium fractum in eo, et reddat regi centum viginti solidos *wite* [1].

E. Liebermann I 386.

6.

Benedictio scuti et baculi ad duellum faciendum [2]

In primis dicantur isti psalmi: *Deus in adiutorium meum. — Benedicam Dominum in omni tempore. — Iudica, Domine, nocentes me. — Qui habitat in adiutorio Altissimi. — Quicumque vult salvus* cum *Gloria Patri* [3]

Post unumquemque psalmum litania cum antiphona.

Ne reminiscaris, Domine, delicta mea. Kyrieleison. Christeleison. Kyrieleison.

Pater noster. Et ne nos, sed libera nos...

Oremus. Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui mundum ex informi materia fecisti, et unicum Filium tuum tibi coeternum pro generis humani redempcione, Spiritu s. cooperante incarnari atque de hoste antiquo triumphare fecisti, te suppliciter petimus, ut hoc scutum atque baculum istum dextera potentie tue benedicere digneris, ut sint arma invincibilia atque, triumphali potentia tua adminiculante, victricia; quatinus quicumque his armis pugnaverit, tua protectione munitus tam corporis quam anime salutem percipiat atque victoriosum de hoste reportans tropheum, bello peracto, Creatori omnium, gracias referat cum filio tuo d. n. I. Chr., qui tecum et cum Spiritu s. vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

Hic tradat ei scutum, dicens: *Accipe hoc scutum ad corporis tui protectionem in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen. Protegatque te Christus, Filius Dei vivi. Amen.*

---

[1] Poenae inoboedientiae. — [2] Hic ordo, 1067-c. 1130 compositus extat in ms. anglicis posteroribus. — [3] Ps. LXIX 2; XXXIII 2; XXXIV 1; XC 1.

Hic tradat ei baculum dicens: *Accipe hunc baculum ad hoc duellum preparatum, cum quo valeas tibi rebellantem prosternere et insurgentem conterere habeasque victoriam in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen.*

Deinde curvet genua tenens scutum et baculum, sacerdote dicente super eum orationem.....

Deinde sacerdos dans illi benedictionem dicit: *Confortare et esto robustus...*

Tunc dicatur missa de Spiritu s. Offertorium. *Spiritus Domini.*

E. Liebermann I 430.

7.

1206-1215. * *Iuris Scanici expositio latine conscripta ab Andrea Sunonis Filii archiep. Lundensi* [1].

§ 99. Gestaturus ferrum lota manu nichil debet contingere priusquam ferrum levet nec caput nec crines nec aliquod vestimentum, ne per tactum alicuius succi vel unguenti per fraudem pocius quam per innocentiam ferri candentis effugiat lesionem. Triplex autem ferri iudicium, quod usus recipit, invenitur. Unum quod in 12 ignitis vomeribus calcandis consistit, quibus personis conveniat qualiterque debeat exerceri, sufficienter credimus declaratum [2]. Est item aliud ferri iudicium illi soli conveniens, qui pro furti crimine convenitur, quod *trux iarn* lingua patria nominatur, ab alveolo, qui per 12 vestigia debet a baculis, quibus ferrum superponitur, elongari; quod accensum prius prestito ab adversario iuramento quod *assvaera eth* appellatur, sumptum a baculis in ipsum alveolum nuda manu debet immittere reus ipse et immissum, si forte resilierit vel extra ceciderit, resumet iterum et proiiciet, donec ipsum ibi contigerit contineri. Est item tercium ferri iudium, illis gestaturis ferrum attinens, quibus predicta iudicia non incumbunt, quod ignitum sumptum a baculis reus ipse,

[1] Signum * indicat apud eundem scriptorem alios adhuc textus de ordaliis reperiri qui non allegantur. — [2] c. 57, p. 287.

donec processerit novem vestigiis, deferre tenetur, et tunc primo a se iactare, a quo iactu ipsum lingua patria *scuzs iarn* appellat; et si dicatur ab adversario insufficienter vel minus legitime detulisse, probet duobus testibus se deferendi modum legitimum observasse. Hoc est autem circa quodlibet ferri iudicium observandum, ut nullum eorum debeat in septimana, que diem festum habeat, exerceri; duobus quidem primis diebus, in secunda videlicet et tercia feria reus in pane et aqua et vestimentis laneis ieiunabit et in quarta subibit iudicium; hoc completo, in continenti vel pedes, si vomeres calcati fuerint, vel manus, si ferrum gestatum fuerit, panno aliquo involventur, cui diligenter astricto sigillum eciam apponetur, ne quid adveniat fraudulenter, quod vel possit extinguere ustionem vel auferre saltem apparentiam ustionis; hoc velamen in pedibus vel manibus usque ad sabbatum permanebit, eodem die coram actore, adversario usque ad solis descensum post meridiem expectando, et si nec tunc advenerit, coram astantibus auferendum, qui statim cum nudam manum vel pedes conspexerint, vel innocentem reum vel culpabilem iudicabunt; et si fuerit innocens iudicatus, persolvet laboris sui precium sacerdoti, si vero culpabilis, ad actorem illius mercedis solutio, iuxta ecclesie vel provincie consuetudinem, pertinebit. Hiis de causis statutum est, ut septimana candentis ferri nullum habere debeat diem festum, ne diei festo aliqua videatur iniuria per ieiunium vel huiusmodi operibus irrogari...

C. I. Schlyter, Corpus iuris Sveo-gotorum antiqui; (Stockholm 1827 77) IX 318-320.

8.

1216. *Liber consuetudinum Mediolani.*

c. 20. Rubrica de pugnis, et in quibus casibus fiant, et quomodo secundum nostram consuetudinem fiant et de forma earum... Utraque parte adveniente, campiones missam audiunt et, armis iuxta altare positis, benedictionem a sacerdote accipiunt et arma signantur et postmodum ad praesentiam iudicis utraque pars venit...

Principales quoque personae hodie per se iurant, si fuerint maiores aut eorum tutores vel curatores, si minores fuerunt. Campiones vero per se iurant, quod per vim herbarum vel verborum vel alicuius maleficii ad pugnandum non veniunt et amplius quod bona fide pugnabunt.

Restat ut de modo pugnandi, quid per consuetudinem nostrae civitatis obtineat, breviter videamus. In primis sciendum quod campiones semper cum scuto in capite et fuste certant, nisi de consensu partium aliud fuerit actum; feltrum [1] quoque in dorsum et in una tibia habere permissum est. Idem est, etiamsi per pravam personam, quam reus meliorem eligere voluerit, pugna fieri debeat. At si per aliam personam, quae nunquam pugnam fecit, et pracipue quae sit de villis, duellum speratur fieri, saepe per scutum et cistam [2] pugna ordinatur. Haec tamen omnia, quae dicta sunt, ex iudicis arbitrio pendent; pugna vero secundum iudicis officium ordinatur. Is qui ceciderit, id est cuius caput suum terram tetigerit, subcumbit; alioquin si genibus terram presserit vel terram manibus tetigerit et corpus ad terram non fuerit prostratum, non subcumbit.

De iudicio vero aquae frigidae illud scire oportet, quod tunc demum ad illud pervenitur, cum accusatus propter paupertatem pugnare per campionen non potest nec persona, quae convenitur, habilis est ad pugnandum ... Si minus sol. 100 in bonis habet, ad iudicium praedictum perveniat aquae frigidae, in quo quidem iudicio per partes sic iuratur, ut superius dictum est de pugna. Fit autem iudicium aquae frigidae per puerum virginem ligatum et in aquam per cordam dimissum, et si illum aqua non recepit nec submersus fuerit, qui fuerat accusatus subcumbit. Si vero illum aqua sumpserit... et submersus fuerit, obtinet. Illud autem scire oportet, quod ferventis ferri iudicium in nostra civitate non admittitur, licet in quibusdam locis iurisdictionis domini archiepiscopi Mediolani secus obtineat.

Monumenta historiae patriae XVI. Leges municipales 2(August. Taurin. 1876) 905, 910.

---

[1] Pulvinar vel pannus coactilis et tegmen stricturis compactum ex villis grossioribus. — [2] Caestus quo pugiles romani dimicabant.

9.

1266-1304. * *Statuta communis Parmae.*

Capitulum quod si aliquis accusatus fuerit de aliquo maleficio vel de aliqua re, unde duellum fuerit iudicatum, quod partes possint praeliari insimul, si utrique parti placuerit. Et si accusatus per se in propria persona voluerit praeliari, et accusator per alium, det aequalem accusator. Et si accusatus per alium voluerit praeliari, inveniantur duo aequales tam usibiles quam bravi a Rectore civitatis Parmae, bona fide sine fraude, in magnitudine et fortitudine et arma, scilicet scutum et clava, adaequentur; et campiones esse debeant de civitate et episcopatu Parmae per triennium continue [et eius familia] sine fraude; et campiones sint ambo usibiles vel bravi in electione accusati; quam electionem dicat reus post duellum iudicatum incontinenti, hoc est in eodem die, si fuerit quaesitus. Et quilibet campio habeat tantum XV libras parm. et pasturam et non aliud per se vel per alium aliqua occasione. Et Potestas teneatur hoc eis facere iurare. [1]

Monumenta histor. ad provincias Parmensem et Placentinam pertinentia I 1 (1855) 287.

II. — Acta et facta.

10.

29. *C. Velleius Paterculus. Historia Romana.*

II c. 118. At illi [Germani], quod nisi expertus vix credat, in summa feritate versutissimi natumque mendacio genus, simulantes fictas litium series, et nunc provocantes alter alterum in

[1] Alia exempla quae ordinem et dispositionem duellorum exhibent vide apud *Du Cange* sub *campio* et *duellum*.

iurgia, nunc agentes gratias, quod ea romana iustitia finiret feritasque sua novitate incognitae disciplinae mitesceret et solita armis decerni iure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quintilium, usque eo ut se praetorem urbanum in foro ius dicere, non in mediis Germaniae finibus exercitui praeesse crederet.

C. Vellei Paterculi ex Historiae Romanae libris II quae supersunt ed. *Car. Halm* (Lipsiae, Teubner 1876) 119.

11.

c. 206. *Titus Livius. Historiae.*

XXVIII c. 21. Scipio Carthaginem ad vota solvenda diis munusque gladiatorium, quod mortis causa patris paraverat, edendum rediit. Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, servorum quive venalem sanguinem habet [1]. Voluntaria omnis et gratuita opera pugnantium fuit; nam alii missi ab regulis sunt ad specimen insitae genti virtutis ostendendum, alii ipse professi, se pugnaturos in gratiam ducis, alios aemulatio et certamen, ut provocarent provocatique haud abnuerent, traxit. Quidam quas disceptando controversias finire nequiverant aut noluerant, pacto inter se, ut victorem res sequeretur, ferro decreverunt. Neque obscuri generis homines, sed clari illustresque, Corbis et Orsua [2] patrueles fratres, de principatu civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certaturos professi sunt. Corbis maior erat aetate. Orsuae pater princeps proxime fuerat, a fratre maiore post mortem eius principatu accepto. Quum verbis disceptare Scipio vellet ac sedare iras, negatum id ambo dicere commu-

---

[1] A lanistis non solum servi conducebantur, sed etiam liberi homines, qui eis se et arenae vendebant.

[2] Ex his nominibus *H. d'Arbois de Iubainville* coniecturam facit agi de Celtis, apud quos duella conventionalia antiquam fuisse consuetudinem putat. Revue Celtique 7 (1886) 12 et Nouvelle revue hist. de droit français et étranger 13 (1889) 730.

nibus cognatis nec alium deorum hominumve quam Martem se iudicem habituros esse. Robore maior, minor flore aetatis ferox, mortem in certamine quam ut alter alterius imperio subiiceretur praeoptantes, quum dirimi ab tanta rabie nequirent, insigne spectaculum exercitui praebuere documentumque, quantum cupiditas imperii malum inter mortales esset. Maior usu armorum et astu facile stolidas vires minoris superavit [1].

12.

507/11. *Cassiodorus. Epistolae.*

III 24. Universis Barbaris et Romanis per Pannoniam constitutis Theodericus rex... Illud praeterea vos credimus ammonendos, ut non in vos, sed in hostem saevire cupiatis. Res parva non vos ducat ad extrema iudicia; adquiescite iustitiae, qua mundus laetatur. Cur ad monachiam recurritis, qui venalem iudicem non habetis? Deponite ferrum, qui non habetis inimicum. Pessime contra parentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriose moriendum. Quid opus est homini lingua, si causam manus agat armata? aut pax esse unde creditur, si sub civilitate pugnetur? Imitamini certe Gothos nostros, qui foris praelia, intus norunt exercere modestiam. Sic vos volumus vivere, quemadmodum parentes nostros cernitis domino praestante floruisse.

M G H Auct. ant. XII 91; P L LXIX 589.

13.

c. 580. *Vita Austregisili archiep. Bituricensis* († 624) [2].

c. 4... Erat tunc in palatio regis quidam potestatem preditus, homo ferus et superbiae nimiae deditus, Bethelenus no-

---

[1] Eandem historiam paulum mutatam enarrant etiam *Valerius Maximus*, Facta et dicta memorabilia (IX c. 11 § 7) et *Caius Silius Italicus*, Punicorum libri XVII (XVI v. 527).

[2] Vita non videtur ab aequali, sed aevo Carolingico fuisse conscripta.

mine, qui temerario hordine quiddam de fiscalibus rebus fraudulenter occupaverat. Unde dum argueretur a rege, ostendit illi falsam auctoritatem. « Quis », inquid rex, « hanc preceptionem dedit ? » Dixit : « Austrigisilus mapparius » [1]. Accersitus Austrigisilus, interrogatus, quod non fecerat denegavit. Illos disceptantes, rex in furore versus iussit eos ex hoc in campo certare, ut, quis falleret, Domini iudicio monstraretur. Iam advenerat dies institutus certandi. Mane surgens Austrigisilus, clipeum cum iaculo per pueros suos direxit in campum, ubi rex agonistas expectare solitus erat. Ipse ad basilicam s. Marcelli solito more orandi gratia pergebat... ingreditur basilicam ; premissa oratione, vexillo crucis se munivit, quod est armatura Dei ; fidus de sua iusticia et de Domini iusto iudicio inperterritus festinusque ad certamen pergebat. Cum ibidem prestolaretur adversarii adventum, ecce ! veniens quidam ex ministris Betheleni, anelabundus et lugubri vultu nuntians regi mortuum esse memoratum Bethelenum...

M G H Script. rer. Merov. IV 193.

14.

590. * *Gregorius archiep. Turonensis* († 594). *Historia Francorum.*

X c. 10. Anno igitur decimo quinto Childeberti regis..., dum ipse Guntchramnus rex per Vosagum silvam venationem exerceret, vestigia occisi buvali depraehendit. Cumque custodem silvae arcius distringeret, quis haec in regale silva gerere praesumpsisset, Chundonem cubicularium regis prodidit. Quo haec loquente, iussit eum adpraehendi et Cavillonum conpactum in vinculis duci. Cumque uterque in praesentia regis intenderent et Chundo diceret, nunquam a se haec praesumpta quae obiciebantur, rex campum deiudicat. Tunc cubicularius ille, dato nepote pro se, qui hoc certamen adiret, in campum uterque steterunt ; iactaque puer ille lancea super custodem silvae, pedem

[1] Qui linteum ad manus tergendas regi porrigebat.

eius transfigit moxque resupinus ruit. Puer vero, extracto cultro qui de cingulo dependebat, dum collum ruentis incedere timptat, cultro sauciatus ventre transfoditur. Cecideruntque ambo et mortui sunt. Quod videns Chundo, ad basilicam s. Marcelli fugam iniit. Adclamante vero rege, ut compraehenderetur priusquam limen sanctum adtingerit, conpraehensus est vinctusque ad stipitem lapidibus est obrutus.

M G H Script. rer. Merov. I 418; P L LXXI 538.

15.

6. saec. ex. * *Gregorius. De Gloria martyrum.*

c. 68. Ferunt etiam in hac urbe [Arles] fuisse mulierem, cui a viro crimen inpactum nec omnino probatum, a iudice ut aquis immergeretur, diiudicata est. Cui cum ad collum lapis immensus funibus colligatus fuisset, in Rhodamum de navi praecipitata est. Illa vero beati martyris auxilium precabatur et nomen eius invocans, aiebat: « S. Genesi, gloriose martyr, qui has aquas natandi pulsu sanctificasti, erue me iuxta innocentiam meam ». Et statim super aquas ferri coepit. Quod videntes populi susceperunt eam in navi et ad basilicam Sancti deduxerunt incolomem nec ulterius a viro vel a iudice est quaesita.

M G H Script. rer. Merov. I 534; PL LXXI 767.

16.

623-24. * *Fredegarius. Chronicon.*

Gundoberga, uxor Charoaldi regis Langobardorum, ab aliquo Langobardo, nomine Adolfo, suspecta quod maritum veneno interficere vellet, in castro aliquo incarcerata fuerat.

IV c. 51. Chlotarius [rex Francorum] legatos diriens (!) ad Charoaldum regem, inquirens, qua de re Gundebergam reginam, parentem Francorum, humiliasset, ut exilio retrudisset, Charoaldus, his verbis mendaciis, quasi veritatem subsisterint, re-

spondebat. Tunc unus ex legataries nomen (!) Ansoaldus, non quasi iniunctum habuisset, sed ex se ad Charoaldo dixit: « Liberare potebas de blasphemeo causam hanc. Iube illum hominem qui huiuscemodi verba tibi nunciavit, armare et procedat alius de parte reginae Gundebergae, quique armatus ad singulare certamine (!). Iudicium Dei, his duobus confligentibus, cognuscatur, utrum huius culpae repotationes Gundeberga sit innoxia an fortasse culpabelis ». Cumque haec Charoaldo regi et omnibus primalis palatiae suae placuisset, iobet Adalulfum armatum conflictum adire certamine, ut de partae Gundebergae, procurrentibus consobrinis Gundebergam et Aripertum, homo nomen Pitto contra Adalulfu armatus adgreditur. Cumque confligissent certamine Adalulfus a Pittone interficetur. Gundeberga statim de exilio post anno tercio regressa, sublimatur in regno [1].

M G H Script. rer. Merov, II 146; PL LXXI 638.

17.

769-774. *Formulae Salicae Bignonianae* [2]. *Noticia de cruce evindicata* [3].

Dum et omnibus non est incognitum, qualiter veniens homo alicus nomen ille ante vigario [4] inluster vir illo comite nomen illo adversus homine alico nomen illo, repedebat ei, dum diceret, eo quot terra sua de suo maso [5] vel de sua potestate malo ordine proprisisset; sed ipsi illi de praesente adstare videbatur et hac causa fortiter denegavit, quod sua terra de suo maso malo ordine numquam proprisisset nec post se numquam retenuerit iniusti. Sed taliter ei fuit iudicatum in ipso placito ante ipso

---

[1] Minus exacte eandem rem refert *Paulus Diaconus* in sua Historia Langobardorum (IV c. 47). Script US (1878) 172. — [2] Formulae primo a Bignon publicatae. — [3] Agitur de vindicatione alicuius agri per iudicium crucis; formula exhibet exemplar, secundum quod iudex sententiam pronuntiare potuit. — [4] Minister comitis iudiciaria potestate functus. — [5] Mansus = portio terrae communis; pagenses (commarcani, consortes) erant illi qui talem portionem possidebant.

vigario vel ante ipsos pagensis, ut ad crucem ad iudicium Dei pro ipsa terra in noctis 42 in ipsa placita pro hoc deberent adstare; quod ita et fecerunt. Sed venientes ad ipso placito, sicut eis fuit iudicatum, ante ipso vigario vel ante ipsos pagensis ad ipso iudicio vel ad ipsa cruce visi fuerunt stetisse. Sed ipso ill. omine, qui ipsa terra proprisit, ad ipso iudicio vel ad ipsa cruce eum convincuit; sed ipsi ille in ipso placito ad ipsa cruce visus fuit cadisset. Sed dum hac causa sic fuit inventa, quod ipsi illi, qui ad ipso iudicio vel ad ipsa cruce cadisset, solidos tantos ei transsolvere deberet, quod ita et fecit, et de ipsa terra ipso illo legibus revestire deberet, quod ita et fecit. Tunc taliter ei iudicaverunt, ut ipsi illi de praesente die ipsa terra contra ipso illo vel heredis suis quam contra quemlibet hominem omneque tempore habeat evindicata adque elidiata [1], tam ipsi illi quam et posteritas sua de post hunc die praedicta terra quieto ordine valead possidere vel dominare, et ducti et securi exinde valeant resedere.

Facto iudicio in illo loco publiciter.

M G H Formulae 232.

18.

797. *Carolus M. reddit Theodoldo comiti, a contagio conspirationis Pippini expurgato, possessiones et res confiscatas.*

... Quapropter dum ab omnibus non habetur incognitum, qualiter suadente diabolo Pippinus filius noster cum aliquibus dei infidelibus ac nostris in vita et regno nobis a deo concesso impie conatus est tractare et domino Iesu Christo miserante nihil praevaluit eorum perfidia. Fuerunt namque aliqui ex ipsis in nostra praesentia convicti et secundum iudicium Fancorum diiudicati, aliqui vero fideles per iudicium dei se exinde idoniaverunt, sicuti Theodoldus comis fidelis noster visus est fecisse. Cui et nos omnes res proprietatis suae denuo... reddi fecimus.

M G H Dipl. Carol. I n. 181.

---

[1] Elitigata.

19.

806. *Carolus M. Divisio regnorum inter filios.*

c. 14. Si causa vel intentio sive controversia talis inter partes propter terminos aut confinia regnorum orta fuerit, quae hominum testimonio declarari vel definiri non possit, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiae iudicio crucis Dei voluntas et rerum veritas inquiratur nec unquam pro tali causa cuiuslibet generis pugna vel campus ad examinationem iudicetur...

M G H Capit. I 129.

20.

820. *Einhardus abbas* († 840). *Annales.*

In eo conventu [Aquisgranensi] Bera, comes Barcinonae, qui iam diu fraudis et infidelitatis a vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus vincitur. Cumque ut reus maiestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordia imperatoris et Ratumagum [1] exilio deportatus est [2].

Annales regni Franc., recogn. *Frid. Kurze;* Script. U S (1895) 152. M G H Script. I 206. P L CIV 488.

21.

c. 834. *Adrevaldus Floriacensis* († c. 878). *Miracula s. Benedicti in Gallia.*

Decurso exinde non modico tempore, alia iterum oboritur controversia inter praefatum huius loci [monasterii Floriacensis, Saint-Fleury] advocatum atque advocatum S. Dionysii. Colli-

---

[1] Rouen. — [2] Eandem historiam ornatius refert poeta *Ermoldus Nigellus,* Carmina III 550. M G H Poet. lat. I 56; P L CV 616.

guntur ab utriusque partibus plurimi legum magistri et iudices, qui pro partibus decertarent. Praeterea aderant in eodem placito missi a latere regis Ionas episcopus Aurelianensis et Donatus comes Milidunensium. Sed cum litem in eo placito finire nequirent, eo quod Salicae legis iudices ecclesiasticas res sub Romana constitutas lege decernere perfecte non possent, visum est missis dominicis placitum Aurelianis mutare. Venientes itaque ad condictum locum magistri et iudices, utraque ex parte acerrime decertabant. Aderant namque legum doctores tam ex Aurelianensi quam ex Wastinensi provincia [1]. Enimvero longiuscule litem iudicibus protrahentibus, eo quod nec hi cedere illis nec illi assensum aliis praebere vellent, tandem adiudicatum est, ut ab utraque parte testes exirent, qui post sacramenti fidem scutis ac baculis decertantes finem controversiae imponerent. Sed cum id iustum rectumque visum fuisset omnibus, quidam Wastinensis regionis legis doctor... iudicium protulit non esse rectum, ut bello propter res ecclesiasticas testes decernerent, immo magis inter se mancipia advocati partirentur. Cuius sententiae Genesius vicecomes favens, rectius dixit esse mancipia dividi quam testes bello decernere in eamque sententiam concilium omne deflexit. At vero s. Benedictus nequaquam iudicis illius et legislatoris oblitus est, qui primus sententiam dividendi mancipia versute iuxta nomen suum ac bestialiter protulit. Namque continuo, ut eadem in duas divisa sunt partes mancipia, ille iusto Dei iudicio ita percussus est, ut nullo modo aliquid loqui posset, incurvato tocius linguae officio...

M G H Script. XV 489; P L CXXIV 928.

22.

Hincmarus archiep. Remensis († 882). *Annales.*

863. Duo quoque Nortmanni, qui nuper cum Welando [2] christianitatem dolo, ut tunc dicebatur et post claruit, postulantes, de navibus exierunt, super eum infidelitatem miserunt.

[1] Orléans et Gatinais. — [2] Dux Normannorum qui se a. 862 regi Francorum subiecerat.

Quorum unus secundum gentis suae morem cum eo negante armis coram rege contendens, illum in certamine interfecit.

876. Hludovicus, Hludovici regis filius, decem homines aqua calida et decem ferro calido et decem aqua frigida ad iudicium misit coram eis qui cum illo erant, petentibus omnibus, ut Deus in illo iudicio declararet, si plus per rectum ille habere deberet portionem de regno quam pater suus illi dimisit ex ea parte, quam cum fratre suo Karolo per consensum illius et per sacramentum accepit. Qui omnes inlaesi reperti sunt.

Annales Bertiniani, recogn. *G. Waitz;* Script. U S (1883) 66, 132. M G H Script. 1 462, 501. P L CXXV 1215, 1279.

23.

10 saec. in. *Ekkehardus IV Iunior, mon. San Gallensis. Libri de casibus monasterii* (script. c. 1030).

c. 124. Ut antiquitus loci nostri mos statutus erat, ut in ecclesia s. Otmari omnibus, qui inter Coldaham et Sinttriaunum fluvios [1] degunt, sinodica quoque preter disiunctiones coniugum pro episcopo faceret. Cuius rei privilegia cum a Iohanne papa cum Salomone episcopo necnon Karolo astipulante habeamus, invidi monachis nunc temporis episcopi vix nobis et nostris halitum relinquentes, ut Salustii verbis utar, nil nobis reliqui facere moliuntur, ministrosque odii et invidiae iniustaeque potentiae Holophernicos asciscunt sibi archipresbyteros, qui animas hominum carissime appretiatas vendant, feminas nudatas aquis immergi impudicis oculis curiosi perspiciant aut grandi se pretio redimere cogant [2].

St. Gallische Geschichtsquellen, her. von *G. Meyer v. Knonau* III (1877) 403. M G H Script. II 136.

---

[1] Goldach et Sitter.

[2] Iudicium igitur aquae frigidae faciebant in synodo, praesidente archipresbytero.

24.

925. *Syn. Turonensis litem aliquam de decimis disceptat.*

Veniens quidam presbyter, nomine Rainaldus... ante domnum Robertum Turonicae sedis venerabilem archiepiscopum in conventu synodico... proclamans quasdam decimas in pago Turonico..., quas quidam sacerdos, Gaufridus nomine, ab ipsa ecclesia alienare et iniuste possidere volebat... Exinde interrogante domno archiepiscopo ante omnes sacerdotes, qui ipsam altercationem definire possent, ut quod melius scirent inter eos synodale iudicium decerneret. Postea inventum et diiudicatum est ab omnibus, ut praescriptus Gaufridus presbyter unum hominem ad Dei iudicium mitteret, et si quidem illaesus evaderet, medietatem ipsarum decimarum suae ecclesiae et sibi perpetuo vindicaret; sin autem, omnis decima ad ecclesiam s. Saturnini in villa Pasiniaco cum integritate rediret. Quod iudicium saepedictus presbiter Gaufridus, sicuti ei iudicatum fuit, vidente Rainerio archidiacono... aliisque hominibus in Nogastro castro fecit suusque homo exustus apparuit et sic ex ipsis decimis sese recredidit atque per festucam guerpivit.

Mart. Bouquet IX 324.

25.

950. *Thietmarus ep. Merseburgensis* († 1018). *Chronicon.*

II c. 39. Filiam [Luitgardem] vero suimet [Ottonis I], uxorem eius [Conradi, ducis Lotharingiae], a quodam Conone, eo quod sibi satisfacere noluisset, late diffamatam et coniugem suam clam fore ab eodem dictam, cesar hoc graviter ferens sic eam expurgavit. Convocatis omnibus regni suimet principibus, primo secretis allocutionibus eandem, si huius rei culpabilis esset, diligenter inquirit; posteaque cum illam adhibito Christi testimonio et sacramentis se nimis excusare vidisset, presentibus cunctis indixit, si aliquis ex numero sibi familiarium eam armis defendere voluisset, ut se firmum in die hac et in perpetuum

acquirere potuisset amicum Burchardus comes haec audiens in medium prosiliit et Cononem per omnia mentitum fore, coram omnibus dixit. Ille autem cum id verum esse sacramentis affirmaret, cum eodem congressus in primo aditu dexteram mendacem perdidit et iniusticiam suimet devictus innotuit; et misericors Dominus a falso crimine hanc eripuit, quam innocencia vitae sibi placere fecit...

Thietmari chron., recogn. *Frid. Kurze:* Script. U S (1889) 43. M G H Script. I 620. P L CXXXIX 1222.

26.

950. *Reginonis chronicon, continuatio Adalberti, monachi Trevirensis.*

Rex [Otto I] ...Wormaciam adiit... Ibi Cuonradus, filius Gebehardi comitis, quoniam cum quadam nepte regis se concubuisse sibi imposcit, a quodam Burchardo Saxone monomachia victus fefelisse patuit.

Reginonis abb. Prumens. chronicon, recogn. *Frid. Kurze.* Script. U S (1890) 164. M G H Script. I 620. P L CXXXII 160.

27.

c. 962. *Saxo Grammaticus, praepositus Roskildensis* († c. 1204). *Gesta Danorum.*

X n. 101. Hic [Poppo] Danorum concione publice apud portum, cui glaciei frequencia agnomen peperit [1], habita, cum eos, ne fana excolere vellent, sermone flectere nequiret, evidenti iudicio certissimum assercioni sue argumentum prebuit doctrineque fidem conspicuo sanctitatis miraculo publicavit. Percontatus enim, an monitis suis obsecuturi essent, si ad flagrantis ferri tactum manum eius lesione vacuam conspexissent, universis haud dubie parendum respondentibus, candentem ferri laminam

[1] Isefiord.

chirothece formam habentem expediri iussit eique brachium cubito tenus inseruit ac protinus per omnes interrite circumlatam ante principis [1] pedes excussit dextramque nulla ex parte corruptam in eodem incolumitatis colorisque habitu religiose omnium ammiracioni conspiciendam monstravit [2]. Quo tam mirifico spectaculo alioqui inexorabiles studio suo consentaneos reddidit effecitque, ut periculum non impedimentum monitorum eius esset, sed experimentum. Enimvero ipsam rerum naturam audacis voti constancia superavit. Quin eciam ea miraculi celebritate externum genti nostre religionis spiritum ingeneravit. Quo evenit, ut Dani, abrogata duellorum consuetudine [3], pleraque causarum iudicia eo experimenti genere constatura decernerent, controversiarum examen reccius ad arbitrium divinum quam ad humanam rixam relegandum putantes.

Saxonis Grammatici Gesta Danorum, her. von *Alfr. Holder* (1886) 338.

28.

997. *Otto III imperator dat abbatiae Nonantulensi in comitatu Mutinensi sitae privilegia.*

...Si autem quod sepissime contingere non dubium est evenerit, ut ex rebus abbatie contentio incrementa ceperit super quibus vero cartarum auctoritas igne aut aliqua negligentie occasione consumpta in presentiarum ostendi nequiverit, concessive largimur ut licitum sit predicte abbatie nostra auctoritate, ut non duello aut aliquo defensionis iuditio, sed solummodo duorum vel trium hominum iuramento finiatur absque omni imposita occasione...

M G H Dipl. reg. et imperat. germ. II 2, 655.

---

[1] Harald Blaatand (936-986). — [2] Hanc partem narrationis multi chronistae referunt, e. gr. *Thietmarus*, Chronicon (Fr. Kurze, l. c. 26); *Adamus Bremensis*, Gesta Hammenburg. eccl. pontificum (M G H Script. VII 318); *Widukindus*, Res gestae Saxon. (ib. III 463); *Anonymus Roskildensis*, Chron. Danorum (ib. XXIX 23). *Gesta Treverorum* miraculum attribuunt Popponi ep. Trevir. (ib. VIII 173). — [3] Duellum a Frothone III fuisse introductum Saxo antea narraverat. *A. Holder* 152.

29.

1008. *Robertus rex confirmat privilegia monasterii s. Dionysii O.S.B.*

...Damus Deo ac s. Dionysio quasdam res iuris nostri... hoc est bannum hominis vulnerati vel interfecti... et legem duelli, quod vulgo dicitur campus [1].

Mart. Bouquet X 591.

30.

1024. *Henricus II imperator. Decretum consentientibus abbatibus datum ad lites dirimendas inter monasterium Fuldense et Hersfeldense.*

7. Et in quocumque loco aut ex una aut ex alia familia aliquis occiditur, nisi ille qui homicidium facit probabiles testes habeat aut per ferrum candens hoc probare valeat, quod ob aliam causam non fecisset, nisi quod de impugnatione ipsius aliter vivus effugere non potuisset, supradictae poenae subiaceat.

M G H Constitut. I 81.

31.

1028. *Ademarus Cabannensis* († c. 1035). *Historia Francorum.*

Eodem vero anno correptus est languore corporis idem comes [Egolismensis, Angoulême] usque ad mortem... Detecta

---

[1] Multa exempla duellorum etiam in foro ecclesiastico enumerat pro Gallia (11.–13. saec.) *Al. Coulin,* Der gerichtliche Zweikampf im altfranzösischen Prozess, Diss. (Berlin 1907) 14 und Verfall des offiziellen und Entstehung des privalen Zweikampfes in Frankreich; Untersuchungen zur deutschen Staats-und Rechtsgeschichte 99 (1909) 45. Pro Italia non pauca affert *Iul. Ficker,* Forschungen zur Reichs-und Rechtsgeschichte Italiens (1868/74) II 18sq., 40, 53sq., 59, 84 etc. atque pro Florentia (13. saec.) *Rob. Davidsohn,* Forschungen zur älteren Geschichte von Florenz (1896/1900) II 315. Cf. infra n. 83.

est quaedam malefica mulier artes maleficas contra eum exercuisse. Quae cum non confiteretur, iuditio Dei commissum est, ut quod verum latebat eventu victoriae inter duos campiones probaretur. Factis ergo sacramentis, decertaverunt inter se diu multumque missus comitis Stephanus et defensor maleficae Willelmus. Stephanus victor sine dampno sui corporis fuit; alter capite quassato, sanguine coopertus, ab hora tercia usque nonam in pedibus stans, victus semivivus in manibus deportatus, longo tempore lecto decubuit. Nec sic malefica confessa est, a tribus tamen mulieribus, quae his maleficiis cum ea interfuerunt, testimoniis convicta est...

M G H Script. IV 146. *M. Bouquet* X 162. P L CXLI 76.

32.

1033. *Wipo, capellanus Conradi II* († post 1046). *Gesta Chuonradi imperat.*

c. 33. ...Inter Saxones enim et paganos [1] fiebant ea tempestate multae dissensiones et incursiones. Cumque caesar veniret, coepit quaerere, ex qua parte pax, quae diu inviolata inter eos fuerat, prius corrumperetur. Dicebant pagani a Saxonibus pacem primitus confundi idque per duellum, si caesar praeciperet, probari. Econtra Saxones ad refellendos paganos similiter singulare certamen, quamvis iniuste contenderent, imperatori spondebant. Imperator consulentibus principibus suis, licet non satis caute ageret, hanc rem duello diiudicari inter eos permisit. Statim duo pugiles congressi sunt, uterque a suis electus. Christianus... audacter pugnare coepit. Paganus autem solam conscientiam veritatis, pro qua dimicabat, prae oculis habens, acriter resistebat. Postremo christianus a pagano vulneratus cecidit. Ex qua re pagani in tantam elationem et audaciam venerunt, ut, nisi imperator adesset, continuo irruerent super christianos.

Die Werke Wipos, her. v. *H. Breslau;* Script. U. S. (1915) 52. M G H Script. XI 271. P L CXLII 1243.

[1] Liutici, gens slavica.

33.

1037. *Conradus II imperator tribuit ecclesiae Mantuanae privilegia.*

...Concedimus autem eidem Hitulfo episcopo advocatos quoscumque elegerit, tam de suis quam de alienis liberis hominibus, qui eiusdem rerum utilitates episcopii exerceant, ita ut ab omni reipublicae functione sint absoluti; nil ab eis quisquam publicus Minister exigere praesumat, ut securius ac diligentius causas ipsius ecclesiae perficere possint, sive per pugnam sive per legale iudicium...

M G H Diplomat. regum et imperat. german. IV 322; *Lud. A. Muratori,* Antiquitates Italicae medii aevi (Mediolani 1738/42) I 612.

34.

1039. *Cosmas decanus Pragensis eccl.* († c. 1125). *Chronicon Bohemorum.*

Leges Brcizlai, ducis Boemorum... Si vero mulier proclamaverit pari vice non amari, sed inclementer a viro suo affligi et profligari, detur inter eos iudicium Dei, et qui inventus fuerit reus, solvat penas rei. Similiter et de his, qui homicidiis infamantur, archipresbiter comiti illius civitatis nomina eorum ascribat et comes eos conveniat; et si sunt rebelles, in carcerem redigat, donec aut poenitentiam dignam agant aut, si negant, ignito ferro sive adiurata aqua, utrum culpabiles sint, examinentur... Severus episcopus [Pragensis] dixit: Ista ducis deliberatio iusta sit anathemate firma...

M G H Script. N. S. 2 (1923) 86; P L CLI 1258.

35.

1043. *Annales monasterii de Wintonia* (*Winchester*).

Emma, mater Eduardi III regis, plurium criminum accusata et in claustrum retrusa voluit innocentiam iudicio Dei probare. Quod fieri debere examine 9 vomerum candentium archiepiscopus Cantuarensis decrevit.

Placere videbatur et regi et episcopis, quod archiepiscopus decreverat et die nominato statuitur convenire Wintoniam... In pavimento ecclesiae scopato novem vomeres igne candentes ponuntur in ordine. Quibus breviter benedictis, subtrahuntur reginae calcei et caligae; et posito peplo et reiecto chlamyde, succincta a duobus hinc inde episcopis ducebatur ad tormentum... Regina sine clamore hanc ineundo faciebat orationem: *Deus qui liberasti Susannam de senibus iniquis, qui liberasti tres pueros de camino ignis, tu de incendio mihi parato per merita s. Swithuni me liberare digneris.* Videte miraculum. Episcopis pedes illius dirigentibus, super novem vomeres novem passus faciens et singulos eorum totius corporis pleno premens pondere, sic omnes supergressa vomeres nec ferrum vidit nec sensit incendium...

Rerum Brittanicarum medii aevi scriptores 36, II (1865) 22.

36.

1066. *Acta de lite inter Gauzfridum* (*Geoffroy le Barbu*), *comitem Andegavorum* (*Angers*) *et monasterium S. Florentii* (*Saumur*) [1].

...Haec itaque contentio anno integro aut eo amplius inter nos et ipsum [Gauzfridum] extitit, nec ullo modo nobis credere voluit, donec iuxta eius sententiam quidam famulus noster, Alcherius dictus, ...Dei iudicium de aqua calida Andecavis in basilica S. Mauricii rite portavit. Qui post triduum suae, per Dei gratiam, salvationis experimento omnibus qui aderant veritatis testis apparens, omnem exinde abstulit controversiam, stupentibus etiam super eius incolumitate ipsis adversae partis ministris... Quo cognito, memoratus comes suae plurimum poenitens presumptionis, nostrae quoque dolens vexationis, et a calumnia cessavit et invasas messes relinqui mandavit.

Testes de hoc existunt legitimi: Othbrannus abbas S. Albini et ambo archidiaconi Raginaldus et Gauzfridus qui per

[1] Amplius hanc litem describit *P. Marchegay*, l. c. 446.

omnia donno abbati Sigoni affuerunt, clerus quoque S. Mauricii qui in ipsa missarum celebratione, dum iudicium ageretur, Deum in orationem pro nostro commodo se terrae devotus prostravit; Berno etiam vicarius et Rodbertus prepositus et Willelmus Normannus, qui de parte comitis officio prefuerunt iudicii, et pene totius plebs civitatis cuius non parva multitudo ad illud iudicium quasi ad spectaculum confluxit...

Archives d'Anjou, publ. par *Paul Marchegay* 1 (1843) 473.

37.

1070. *Rogerus de Hoveden, clericus regius* († 1201-1212). *Chronica.*

Willelmus rex, quarto anno regni sui, consilio baronum suorum fecit summoneri per universos consulatus Angliae Anglos nobiles et sapientes et sua lege eruditos, ut eorum et iura et consuetudines ab ipsis audiret... A legibus itaque s. matris ecclesiae sumentes exordium, quoniam per eam rex et regnum solidum subsistendi habent fundamentum, leges libertatis et pacis ipsius concionati sunt dicentes:

...c. 9. De illis qui ad iudicium ferri vel aquae iudicati sunt per iustitiam regis. De illo de quo iudicium fieri debet, veniat illuc episcopus cum clericis suis et similiter iustitia regis cum legalibus hominibus provinciae illius, qui videant et audiant ut omnia aeque faciant. Et quos Dominus per misericordiam suam, non per merita eorum salvare voluerit, quieti sint et liberi recedant; et quos iniquitas culpae, non Dominus damnaverit, iustitia regis de ipsis iustitiam faciat...

Rerum Britannicarum medii aevi scriptores 51, II (1869) 218, 222.

38.

1070-1080. *Acta de lite inter monasterium S. Nicolai Andegavensis et canonicos S. Maurilii pro terra aliqua.*

Est in vicinio nostro perantiqua sylva coniuncta villulae nostrae quae dicitur Villa Lanaria... Est et in alia parte ipsius

silvae vicina ecclesia de nomine S. Lamberti dicta, quae canonicorum S. Maurilii videtur esse. Qui canonici cernentes nos partem sylvae, quam emeramus, partim extirpatam complanasse, ut esset frugifera, cum iurgio calumniati sunt, dicentes decimas messium nostrarum ecclesiae suae, quae proxima erat, debere reddi. Multis itaque iurgiis nos appetentes, summo labore perquisitum, tandem reperiunt rusticum, qui se de antiquitate iactans diceret olim se ipsam terram aratris elaboratam vidisse, se etiam boves in ea arantes stimulis egisse ac decimas frugum praedictae ecclesiae S. Lamberti agricolas ex ea persolvisse. Illius itaque rustici verbis animati, clerici audenter nos ad iudicium provocant. Quorum iurgia vix ferentes, in hoc tandem utrinque consensimus, ut secundum iudicium domni Eusebii, praesulis nostri, lis illa inter nos dirimeretur. Satis igitur superque causa coram eo ventilata, ad ultimum cunctis qui aderant, tam clericis quam laicis, concordantibus, ab ipso praesule adiudicatum est, quatenus rusticus, qui se huius vetustae visionis testem fecerat, super sacra iuraret quod se vidisse dicebat et iudicio aquae calidae, sicut mos est regionis nostrae, sacramentum firmaret. Sed rusticus, quia provectior erat et invalidus videbatur, hominem iuvenem et corpore fortem manu propria tradidit qui veridica, ut dicebat, eius auctoritate subnixus, quod iudicabatur impleret. Sicque comite nostro, domino Fulcone, praesulis iudicium confirmante, homo susceptus est ad iudicium. Iusiurandum vero, quod iuxta iudicium episcopi iuraturus erat, ne oblivione perveteretur, a domno Rainaldo archidiacono, viro satis erudito, litteris notatum est. Tunc quoque veterannus ille rusticus, quia pedibus non valebat, asino vectus ad terram illam devenit quam se aratam vidisse testabatur. Et sicut ei visum est, eam circumiens, de locis quibus ei placuit partem terrae, prout baculo designabat, colligi fecit et in chirotheca reponi; quae usque ad praefinitam diem servata est... [1].

Die vero praestituta iusiurandi, clericis supradictis quae necessaria erant praeparantibus ad iudicium, secundum quod

---

[1] Probabiliter hanc terram in chirotecam impositam in aeneum ineicerunt unde probando manibus expromenda erat. Cf. n. 3 et 4.

scriptum fuerat sacramentum iuratum est ac iudicium aquae portatum. Ecce dehinc post certos dies, sicut consuetudo est, perspecto eo qui iuraverat, apparuit eum falsa iurasse, falsa etiam ab auctore suo dicta ut iuraret suscepisse. Nam secundum quod peieraverat, cunctis tunc praesentibus, siquidem monstratus est combustus.

Huius rei testis est episcopus ipse, qui hoc ut ita fieret iudicavit. Testis est et comes noster, qui praesulis iudicium confirmavit...

P. Marchegay, l. c. (n. 36) 475.

39.

1076-1083. *Aegidius, monachus Aureaevallensis* (*Orval, dioec. Trevirensis*, † c. 1250). *Gesta episcoporum Leodiensium.*

III c. 13. Unde maximo dolore commotus Henricus episcopus sepe convenit et multum institit, ut principes terre legem aliquam ponerent, cuius timore cessarent tot illa homicidia et cetera mala intolerabilia in suo episcopatu [1]. Quapropter cum magno labore et magnis sumptibus pacem instituit teneri infra episcopatum; hoc etiam assensu domini pape... et imperatoris Henrici et horum principum, quorum ista sunt nomina... Horum omnium peticione, consilio et voluntate decretum est, ut a primo die adventus Domini usque ad exactum diem epyphaniae et ab intrante septuagesima usque ad octavas pentecostes infra episcopatum Leodiensem nemo arma ferat... Incendia, predas, assultus nemo faciat... Quod si culpati fuerint contra pactionem hanc, liber iuretur cum duodecim. Qui vero liber non est, iudicio se purget [2],

---

[1] Cf. de hoc decreto *G. C. W. Görris*, De denkbeelden over oorlog en de bemoeiingen voor vrede in de Middeleeuwen. (Diss., Leiden 1912) 195.

[2] Hic probabiliter intelligitur examen aquae frigidae vel ferri igniti; postmodum autem introducebant duellum, cuius exactam descriptionem habes in litteris, quas episcopus Leodiensis saeculo 14. papae scripsit. *K. W. Nitzsch*, Heinrich IV und der Gottes-und Landfrieden; Forschungen zur deutschen Geschichte 21 (1881) 287.

si tamen signa fuerint manifesta; alioquin cum septem se immunem esse probet [1].

M G H Script. XXV 90.

40.

1082. **Ordericus Vitalis monachus s. Ebrulfi Uticensis (St. Évroul, Normandie, † post 1142). Historia ecclesiastica.*

V c. 16. Interim Mabilia Comitissa [coniux Rogerii de Montegomerico] mucrone animosi militis Hugonis de Ialgeio peremptа est... Praefatus eques obiectum facinus audacter denegabat, sed nullus eum certis indiciis comprobabat nec abneganti scelus seseque legaliter purgare volenti adquiescebat. Tandem multorum deffinitione optimatum praefixum est in curia regis, ut culpatus vir ad abstergendam nefarii maculam facinoris apud Rotomagum in praesentia cleri subiret candentis examen chalybis. Quod ita factum est. Scintillans ferrum nuda manu portavit Deique nutu non adustus apparuit.

Orderici Vitalis Hist. eccles. libri XIII, ed. *Aug. Le Prevost* (1838/55) II 432; *Mart. Bouquet* XII 609; P L CLXXXVIII 430.

41.

1082-1096. *Acta de controversia et duello inter monasterium s. Albini Andegavensis O. S. B. et Giraudum de Blancofurno et Hubertum filium eius pro terra aliqua.*

... Determinato itaque loco, ubi bellum fieret, curia scilicet S. Petri Burguliensis [2], convenerunt utrimque, Raherius scilicet cum suis, qui erat dominus Giraudi et Huberti, et Giraldus abbas s. Albini cum suis. Iuratis igitur, ut fieri solet, sacramentis, campiones invicem pugnare coeperunt. Et cum aliquamdiu pugna durasset, videntes Giraudus et Hubertus, quod

---

[1] Hoc decretum, iam 1083 synodo Coloniensi notum (cf. I n. 77), magnum influxum in legislationem de pace Dei exercuit. Vide *S. Herzberg-Fränkel,* Die ältesten Land-und Gottesfrieden in Deutschland; ib. 23 (1883) 119. — [2] Bourgueil.

campion suus non bene se haberet, dimiserunt calumniam, et terram, pro qua bellum erat, solidam et quietam monachis clamaverunt... Sequuntur subscriptiones clericorum et laicorum.

Steph. Baluzius, Miscellaneorum libri VII; nova edit. cura Dom. Mansi (Lucae 1761/64) II 175; *Mart. Bouquet* XIV 118.

42.

1085. *Annales s. Stephani Frisingenses* (*Freising, Bavaria*).

In hoc anno conbustum est istud monasterium in 2. Non Iun., in 4. feria ante pentecosten. Quod sic accidit. Quidam monachus Reginpertus voluit formicas in lecto suo comburere et ignis apprehendit paleas et sic subito apprehendit tabolata, et sic totum claustrum et monasterium incensum est. Eodem monacho multum nitente flammam palearum extinguere, totus in facie et in manibus ac pectore crematus est adeo, ut ipsi manus incurvarentur. Qui duobus pueris sustentantibus pervenit ad aquam Mosaha, ut se refrigeraret. Sed igne aque frigus usque ad cor fugiente, mortuus est et 9 dies sic fuit in aqua. Quo quibusdam piscantibus invento, noluerunt eum prius sepelire quam per ignitum ferrum examinatum est, ipsum nec monasterium sponte combusisse nec sibimet mortem fecisse nec quicquam in ea causa egisse, unde deberet communione et sepultura carere.

M G H Script. XIII 52.

43.

c. 1090. *Acta de lite inter monasterium S. Mariae* (*Le Ronceray d'Angers*) *et nobiles aliquos Andegavenses.*

Arnulfus... S. Mariae monasterio vineas suas post mortem filiorum suorum Laurentii et Frogerii, si absque liberis migrarent a saeculo, in perpetuum concessit. Quibus nullo haerede remanente defunctis, Gaufridus... Tetbertusque praepositus, Odilarius atque Lambertus sese haeredes illius propinquitate generis asserentes donationemque illam irritam fore debere proclamantes,

praedictis vineis calumniam imposuerunt; quod in curia S. Mariae ante Richildem abbatissam veraces sublimesque personae, quarum nomina subter scribuntur, apta lege probandum fore diiudicaverunt.

Qui videlicet calumniatores hominem suum, Hernaldum nomine, sicut diiudicatum fuerat, in S. Trinitatis ecclesiam [1], ubi calefiebat aqua, adduxerunt. Sed Deus omnipotens... apto manifestavit iudicio illos praedictarum iniuste calumniatores extitisse vinearum. Nam praedictus Ernaldus missa celebrata corporisque ac sanguinis communione percepta necnon et iureiurando super sanctorum reliquias pro more persoluto, ita oculorum lumine privatus erat, ut vix ad sartaginem, in qua manum missurus erat, sicut ipse postea omnibus qui aderant retulit, accedere potuisset. Immissam vero manum ita ex aqua coctam retraxit, ut et ipse non solum in manu, verum etiam interius pene usque ad intima cordis, se combustum confiteretur, et illi magistri sui, praedicti scilicet calumniatores, reatum suum cognoscere..., cogerentur. Qui etiam, dum in manum, sicut mos est, sigillare permitteret rogaretur, aiebat se nullatenus posse prae dolore pati, ut aliquid manum illam contingeret. Servata tamen manu nuda usque in diem tertium, inflatam admodum et excoriatam sanieque iam carne putri effluentem dexteram invitus ostendit. Iam divinitus ostensa veritate et falsitate deiecta, recte acquisita omnino remanserunt sancto suae coenobio vineae.

Nomina testium...

P. Marchegay, l. c. (n. 36) 477; *Du Cange* sub *Aquae ferventis iudicium*.

44.

c. 1098. **Hildebertus ep. Cenomanensis G. archidiacono.*

Ep. II 1. Si fides auctoritati non subtrahitur, coniugium fit consensu voluntatis, non commercio permixtionis... Haec si diligentius... attendisses, profecto non iniret puella cum viro coniugium, cuius fratri solemnes eam nuptiae copulaverant atque

[1] Ecclesia collegialis Andegavensis.

consensus inierat, quamvis secreta matrimonii mors inopina praeciderit... Ex abundanti itaque fuit, ad contactum calidi ferri praefatam deducere puellam, tanquam tali probaturam examine cum priore viro nulla se coeundi miscuisse consortia. Etenim frustra lex adducitur, quae ad urgentis causae decisionem minime suffragatur [1].

Ven. Hildeberti primo Cenoman. ep., deinde Turonensis archiep. opera omnia... Labore et studio *Ant. Beaugendre* O. S. B. (Paris. 1708) 77; P L. CLXXI 207.

45.

1098. *Eadmerus mon. Cantuarensis O. S. B. Historia novorum in Anglia* (script. c. 1110-1122).

...Ad hoc quoque lapsus est [Guilelmus II Rufus], ut Dei iudicio incredulus fieret iniustitiaeque illud arguens, Deum aut facta hominum ignorare aut aequitatis ea lance nolle pensare astrueret. Exempli causa. Quinquaginta circiter viri, quibus adhuc illis diebus ex antiqua Anglorum ingenuitate divitiarum quaedam vestigia arridere videbantur, capti sunt et calumniati quod cervos regis ceperint, mactaverint, manducaverint. Negant illi. Unde statim ad iudicium rapti iudicantur iniectam calumniam examine igniti ferri a se propulsare debere. Statuto itaque die praefixi poenae iudicii pariter subacti sunt, remota pietate et misericordia. Ergo erat miseriam videre. Verum omnipotens Deus, ...innocentiam eorum, servatis misericorditer ab exustione manibus omnium, cunctis ostendit, et malitia hominum eos impie destruere cupientium quam iniusta fuerit iusto iudicio declaravit. Igitur cum principi esset relatum, condemnatos illos tertio iudicii die simul omnes inustis manibus apparuisse: « Quid est hoc? Deus est iustus iudex? Pereat qui deinceps hoc crediderit. Quare per hoc et hoc meo iudicio amodo respondebitur, non

---

[1] Quid senserit Hildebertus de ordaliis eorumque usu, explicat *Franz X. Barth*, Hildebert von Lavardin (1056-1133) u. das kirchl. Stellenbesetzungsrecht; Kirchenrechtl. Abhandl. 34/36 (1906) 89.

Dei, quod pro voto cuiusque hinc inde plicatur ». Haec et huiusmodi plura his atrociora, quae a diversis non ignobilis famae hominibus de Willelmo illo tunc temporis nunciabantur, magno, ut diximus, Anselmum accendebant pontificatui Angliae abrenunciare, scientem videlicet mores suos moribus ipsius nulla posse ratione amplius concordare.

Rerum Britannicarum medii aevi scriptores 81 (1884) 102; PL CLIX 412.

46.

1098. *Carta de lite, quam s. Martini Maius Monasterium Turonense eiusque prioratus de Fontanis cum monachis s. Crucis de Talamonte (Talmont, dioec. Luçon) et canonicis de Angulis (Angles, dioec. Luçon) de marisco* [1] *aliquo habuerunt.*

...Monachi de Fontanis... ad comitem Pictavensem, Guillelmum videlicet, conquerentes ac munera pollicentes accesserunt, quatinus rectum eis de monachis de Talamonte faceret... Cum itaque coram ipso comite ab utrisque partibus causae narratae fuissent, Oto de Rocha, ab eo simulque omnibus rogatus, iudicavit quod monachi S. Martini... per duelli probationem deberent ostendere, quia mariscus, de qua tanta fiebat contentio, ...S. Martino ac S. Iohannis [de Fontanis] fuerit datus. Denique ad locum Monasteriorum, ubi comes mandaverat, ab his atque illis ad duellum faciendum ventum est. Postremo pugiles armati ad ecclesiam ambo perducuntur; deinde coram altari uterque ad iurandum preparatus consistit. Sed pugil s. Martini, cum prior ad iurandum accederet et manu teneretur hoc sacramentum, Otone predicente, cunctis audientibus iuravit: *Quando Guillelmus Iuvenis de Talamonte, de quo dicere cogito, terram de Fontanis et terram de Angulis donavit S. Martino et S. Iohanni cartula et dono, in eodem dono mariscum donavit.* Tunc vero eum alter ex hoc sacramento periurum clamavit.

Cum ergo ad aream, ubi pugiles ducebantur ad faciendum duellum, universi concurrentes exirent, canonici de Angulis ad

[1] Iuncus; palus iuncis cooperta; marais.

Ainulfum priorem simulque alios monachos de Fontanis venerunt, rogantes ut eos in hanc duelli probationem cum monachis S. Crucis reciperent; quod ipsi libenter annuentes non solum eos, sed et omnes, qui in hoc marisco quicquam habere videbantur, in illius probationem pugnae communiter receperunt. At ubi pugiles contra se ad pugnam venerunt, iniusticiae causa non diu stetit incerta, sed protinus a domino denudatur. Pugil quippe monachorum S. Crucis aliorumque, sine mora turpiter prostratus et victus, nichil aliud eis nisi summum dedecus et maximum dampnum adquisivit; propter quod dolore ac verecundia depressi, cum omnibus aliis qui mariscum S. Martino subtrahere voluerunt, tristes ac flebiles recesserunt...

Ut ergo ea quae superius dicta sunt vera esse credantur, ad veritatis testimonium corroborandum, non unus, sed plurimi idonei testes introducantur.

Sequuntur subscriptiones 36 laicorum et clericorum.

Bibliothèque de l'École des Chartes 1 (1839/40) 563.

47.

1105. *Albertus abbas S. Mariae Stadensis. Annales.*

Otto, Saxo genere, quem... cesar ducatu privaverat Bavarie et nepoti dederat Suevo, obiit. Imperator enim exquisita arte Eginonem quendam non alti seminis, sed viribus et audacia prestantem, accusare fecit iam dictum Ottonem de crimine lese maiestatis, quod scilicet de nece tractasset regis. Unde pro expurgacione dictato duello, per sententiam principum abiudicatus est ei ducatus.

M G H Script. XVI 317.

48.

1108-1121. **Guibertus O. S. B.* († 1121), *abbas s. Mariae Novigenti* (*Nogent-sur-Coucy*). *De vita sua libri III.*

III c. 17... A domino ergo Suessorum pontifice... Lisiardo praefati duo [haeretici] ad examen urgentur... Missas itaque

egit episcopus, de cuius manu sub his verbis sacra sumpserunt: *Corpus et sanguis Domini veniat vobis ad probationem hodie.* Quo facto, piissimus episcopus et Petrus archidiaconus, vir fide integerrimus, ...ad aquas procedunt. Episcopus cum multis lacrymis litaniam praecinuit, deinde exorcismum fecit. Inde sacramenta dedere se nunquam contra fidem nostram credidisse aut docuisse. Clementius in dolium missus ac si virga supernatat. Quo viso, infinitis gaudiis tota effertur ecclesia. Tantam enim sexus utriusque frequentiam opinio ista conflaverat, quantam inibi nemo praesentium se vidisse meminerat. Alter confessus errorem, sed impoenitens cum fratre convicto in vincula coniicitur...

Guibert de Nogent, Hist. de sa vie (1053-1124), publ. par *G. Bourgin*; Collection de textes pour servir à l'étude et à l'enseignement de l'hist. (1907) 214. *Mart. Bouquet* XII 266. P L CLVI 952.

49.

1120. *Annales Florentini.*

Petrus Mingardole ad defendendum se de crucifixo [1] super novem vomeres ignitos nudis pedibus ambulavit et illesus evasit.

M G H Script. XIX 223. *Otto Hartwig*, Quellen und Forschungen zur ältesten Geschichte der Stadt Florenz II (1880) 3.

50.

1128. *Bernardus O. Cist.* († 1153), *abbas Clarevallensis Theobaldo, comiti Campaniae.*

Ep. 39 n. 3... Et quia semel coepi, loquar adhuc cum domino meo. In manu Barrensis praepositi dudum facto duello, qui victus fuit, statim ex vestra iussione oculos amisit. Insuper quoque, quasi parva haec mala essent, quod et victus et oculis

[1] Sensus videtur esse: propter derisionem crucifixi aut cum crucifixo in manu.

orbatus fuerat, res ei omnes suae a ministris vestris, sicut ipse conqueritur, ablatae sunt. Iustum est, si vobis placet, ut ei vestra pietate restituatur, unde misera eius vita possit utcunque sustentari...

P L CLXXXII 147.

c. 1144-1150. *Bernardus. Sermones in cantica canticorum.*

Sermo 66 n. 12... Plerumque fideles iniectis manibus aliquos ex eis [haereticis] ad medium traxerunt [1]. Quaesiti fidem, cum, de quibus suspecti videbantur, omnia prorsus suo more negarent, examinati iudicio aquae mendaces inventi sunt. Cumque iam negare non possent, quippe deprehensi, aqua eos non recipiente, arrepto, ut dicitur, freno dentibus, tam misere quam libere impietatem non confessi, sed professi sunt, palam pietatem astruentes et pro ea mortem subire parati ..

P L CLXXXIII 1100.

51.

1131. *Hamelini ep. Redonensis (Rennes) epistola de controversia Mainguenvii et Ivonis pro terra aliqua.*

Episcopus, postquam exposuit, quas utraque pars probationes attulerit, pergit:

Super his sententia data est, scilicet ut Mainguenvius narrationem suam iureiurando assereret. Huic iuramento resistere se Ivo dixit. Itaque iudicatum est inter illos duellum. Acceptum est ab utraque parte et laudatum iudicium. Cumque die constituto ventum esset in campum et post facta iuramenta pugiles hinc et inde forte et viriliter dimicarent in prato episcopi iuxta fluvium Isolam, praesentibus nobis... et fere omni clero et po-

[1] Agitur fortasse de haereticis, Coloniae condemnatis, de quibus *Annales Brunwilarenses* ad a. 1143 hoc referunt: « Hic accusatio Colonie in ecclesia b. Petri presente Arnoldo archiepiscopo contra hereticos facta est, pluresque capti et vinculati, idcirco aquae se expurgaverunt, ceteri autem reatu suo confusi, fugam inierunt ». M G H Script. XVI 727.

pulo Redonensi, tractatum est de concordia et convenit et placuit, ut Mainguenvius terram suam quietam teneret et possideret et Ivoni daret 50 solidos propter impensas et ita Ivo calumniam possessionis illius prorsus dimitteret; et factum est ita.

Iac. Sirmondus S. I., Opera varia (Venetus 1728) III 509; P L CLVII 140.

52.

c. 1156. *Helmoldus canonicus Neomonasteriensis* (*Neumünster, Holstein*) *et presbiter Bozoviensis* (*Bosau,* † post 1177). *Chronica Slavorum.*

I c. 84... Et precepit comes populo Slavorum, ut transferrent mortuos suos tumulandos in atrio ecclesiae et ut convenirent in sollempnitatibus ad ecclesiam audire verbum Dei. Quibus et sacerdos Dei Bruno iuxta creditam sibi legacionem sufficienter amministravit verbum Dei, habens sermones conscriptos Slavicis verbis, quos populo pronuntiaret oportune. Et inhibiti sunt Slavi de cetero iurare in arboribus, fontibus et lapidibus, sed offerebant criminibus pulsatos sacerdoti ferro vel vomeribus examinandos.

Recogn. *Bernh. Schmeidler;* Script. U. S. (1909[2]) 164. M G H Script. XXI 77.

53.

1148-1179. *Hildegardis, abbatissa in Monte s. Ruperti. Inquisitio de virtutibus et miraculis a. 1233 iussu Gregorii IX Moguntiae facta.*

c. 3. Hedewigis conversa iurata dicit, se hoc vere vidisse... Adiecit etiam quod, cum quaedam matrona Pingensis de morte sui mariti esset suspecta, et expurgatio ferri candentis sibi indiceretur, ad b. Hildegardim cucurrit, factum sibi indicans; b. vero Hildegardis ferrum benedixit candens; et cum ferrum

candens deportaret, illaesa permansit. Cui facto publica fama concordat in civitate Pinguensi.

Analecta Bollandiana 2 (1883) 121; A S Sept. V 698; P L CXCVII 133.

54.

1159-1163. *Iohannes Sarisberiensis, cancellarius Cantuariensis Alexandro III.*

Ep. 122. Clericus quidam de familia Willelmi bonae memoriae Eboracensis archiepiscopi, nomine Symphorianus, in praesentia regis Stephani et episcoporum et baronum Angliae, in quodam conventu celebri Osbertum Eboracensem archidiaconum impetivit super crimine veneficii, quo praedictum archiepiscopum dicebat exstinctum, veneno sibi per archidiaconum in mensa Domini propinato, promittens constanter se hoc ferri candentis aut aquae ferventis aut monomachiae aut alio iudicio probaturum. Osbertus vero constantissime crimen inficiatus, privilegio dignitatis et ordinis se non laicorum, sed ecclesiastico tantum iudicio subiacere et se illi per omnia paratum stare respondit. Datis ergo ab utrisque fideiussoribus de lite exsequenda iuxta consuetudinem gentis nostrae in manu regis qui, nobis et fratribus nostris reclamantibus et renitentibus, causam hanc propter atrocitatem criminis, quia eo praesente initiata erat, ad forum suum pertinere dicebat, usque in Octavas Epiphaniae dilata est controversia. Interea regi Stephano serenissimus dominus noster rex Henricus successit, de cuius manibus, vix cum summa difficultate, in manu valida et cum indignatione regis et omnium procerum, iam dictam causam ad examen ecclesiasticum revocavimus... Iam dicto archidiacono purgationem indiximus trium manu archidiaconorum, adhibitis secum aliis quatuor diaconis, diem praestandae purgationis praefinientes; qua imminente accessit ad nos memoratus archidiaconus, dicens se malle innocentiam suam demonstrare in facie ecclesiae romanae, ad quam verbum forte pervenerat, se et omnia sua vestrae protectioni subiiciens et auctoritate apostolica inhibens, ne in laesionem eius quidpiam ab aliquo statueretur...

P L CXCIX 103.

55.

1167. *Chronicon Vizeliacensis monast.* (*N. D. de Vézelay, dioec. Auxerre*).

Eo tempore deprehensi sunt apud Vizeliacum quidam haeretici, qui dicuntur Deonarii seu Poplicani et adducti in quaestionem, per ambages et circuitus verborum tentabant velare foedissimam sectam haeresis suae... Requisiti de execrabili sacramento erroris sui, nihil se scire dixerunt praeter praescriptam infidelitatem ecclesiasticorum sacramentorum. Requisiti utrum ita se credere uti professi sunt et nihil de secreto erroris amplius se scire aquae examine probarent, ita se facturos sponte absque aliqua adiudicatione responderunt. Sequenti die adducti sunt illi duo, qui videbantur revocari, ad iudicium examinis aquae; quorum unus omnium iudicio salvus per aquam factus est (fuerunt tamen nonnulli qui exinde dubiam tulere sententiam); alter porro emersus in aquam fere omnium ore damnatus est. Unde carceri mancipatus, quoniam varia quorundam, etiam sacerdotum, ferebatur sententia, iterum ipso petente, ad aquae iudicium reductus et secundo demersus nec vel parum ab aqua receptus est. Bis denique damnatus, igni ab omnibus adiudicatus est...

Mart. Bouquet XII 343.

56.

1171. *Adalbertus archiep. Salisburgensis determinat iura monasterii ad Montem s. Viti O. S. B.* (*St. Veit, Kärnten*).

...Praeterea concedimus tibi [abbati] tuisque successoribus huius sigilli nostri munimine habere ius sepulturae et baptismi vel iudiciorum aque aut ferri in ipso monte s. Marie vel in ecclesia s. Iohannis, sicut et dudum ibidem indultum fuisse cognovimus.

Monumenta boica 5 (1765) 238.

57.

1172. *Annales maximi Colonienses.*

Per idem tempus Attrabatis [1] contigit res digna memoria. Miles enim quidam admodum litteratus de corpore dominico bene sensit, scilicet quod nec per vomitum seu egestionem corrumpatur. A quo quidam clericus Rubertus nomine, subtiliter quidem, set inutiliter litteratus, contraria his et ideo heretica sentiens, inter conferendum dissensit, et ita quaestio ad episcopum delata est. Qui archiepiscopum Remensem cum multitudine cleri advocavit, et dum haec questio discuteretur, predictus clericus, quod non solum foret hereticus, set et alios foveret et defenderet hereticos, a multis est accusatus. Purgare ergo famam suam de obiecta heresi iudicio candentis ferri frustra proponens, tam manifeste Deo operante cecidit, quod non solum in dextera, in qua ferrum gestabat, set et in sinistra manu et in utrisque pedibus et ambobus lateribus, in pectore similiter et ventre ustura mirabiliter apparuit; unde ex mandato archiepiscopi igni iniectus et combustus est.

Chronica regia Coloniensis; Script. U. S. (1880) 122. M G H Script. XVII 784.

58.

1174. *Ludovicus VII rex confirmat consuetudines ecclesiae s. Petri de Gisez (Iusiers-sur-Seine)* [2].

...Si quis igitur predictas consuetudines pervertendo ecclesiam vel homines iniuste vexare presumpserit, statuimus quod tam ecclesia quam ecclesie homines vicesima manu poterunt,

[1] Arras.

[2] Hoc privilegium a. 1180 confirmatum est a Philippo II Augusto.

sine contradictione et sine duello, suarum consuetudinum probare libertatem.

Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres, publ. par *M. Guérard;* Collection de documents inédits sur l'hist. de France (1840) II 651.

59.

1176. *Henricus archiep. Senonensis destinat 4 matricularios ad servitium ecclesiae cathedralis eorumque munera et iura circumscribit.*

...Nullus preter eos locare poterit scuta ad bella facienda in curia nostra. Ad iudicia aque facienda querent ipsi cuvam et inde 6 denarios habebunt...

Cartulaire générale de l'Yonne, publ. par *M. Quantin* (1854/60) II n. 267.

60.

1178. *Burchardus O. Praem., Praepositus Urspergensis (Dioec. Augsburg,* † c. 1231). *Chronicon.*

Tandem veniens in Alamanniam [Fridericus I] prefatum ducem [Henricum de Saxonia] de traditione et crimine lese maiestatis impetivit. Dux siquidem ipsum preveniens in Suevia fecerat conspirationem contra imperatorem, precipue cum Zobrensibus et Veringensibus [1] et quibusdam aliis comitibus. Ast imperator ipsum ducem frequenter evocat ad curiam ad obiecta responsurum. Ubi quidam principes et barones, fautores ducis, more Teutonicorum sine lege et ratione voluntatem suam pro iure statuentes, contra imperatorem hoc ius tenere volebant, ut imperator ducem condempnare non posset vel terras suas abiudicare, nisi infra terras ducis placitum statueret. Porro quidam nobilis exurgens in medium proposuit, quod lege duellionum, quod et lege et ratione firmatur, hoc vellet obtinere contra quemlibet secum pugnare volentem, quod imperator quemlibet

[1] Hohenzollern et Veringen prope Sigmaringen.

principem posset evocare pro iustitia ad locum quemcumque vellet infra terminos sui imperii existentem. Cumque nullus isti se offerret ad pugnam, edicto imperatoris prefata sententia pro iure perpetuo statuta est, quam non dubium est auctoritate et ratione firmari.

Die Chronik des Propstes Burchard v. Ursberg, her. von *O. Holder-Egger* et *B. v. Simson;* Script. U S (1916²) 54. M G H XXIII 357,

61.

1183. *Annales Aquicinctinensis monachi* (*Anchin*).

Transactis diebus nativitatis dominicae Willelmus Remensis archiepiscopus et comes Flandrie Philippus in civitate Attrebatensi de secretis suis locuturi conveniunt. Ibi multarum haeresium fraudes per quandam mulierem in terra comitis sunt detecte... Multi sunt in presentia archiepiscopi et comitis accusati, nobiles, ignobiles, clerici, rustici, virgines, viduae, uxoratae. Tunc decretalis sententia ab archiepiscopo et comite prefixa est, ut deprehensi iudicio ferri vel aque incendio traderentur, substantie vero eorum sacerdoti et principi resignarentur. Hic apparuit praeclara virtus confessionis. Nam ut ab his qui interfuerunt veraciter probatum est, multi ante in haeresi culpabiles per Dei misericordem gratiam a ferri cauterio et aque periculo evaserunt incolumes. In castro Yprensi 12 ad iudicium ferri sunt adducti, sed per eandem confessionis virtutem omnes salvati.

M G H Script. VI 421. *M. Bouquet* XVIII 536. P L CLX 320.

62.

1185. *Manasses, ep. Lingonensis* (*Langres*) *monasterio Reomensi* (*Moutier-Saint Jean*) *dono dat ecclesiam de Pise* (*Pisy*) *cum medietate proventuum.*

...Reliqua medietas sit presbyteri cum iure presbyteratus, quod tale est: Perae peregrinorum, oblationes sponsi et sponsae, reconciliationes mulierum, oblationes campionum...

M. Quantin, l. c. (n. 59) II n. 349.

63.

1188. **Gislebertus, praepositus s. Albani Namucensis, cancellarius Balduini V* († c. 1223). *Chronicon Hanoniense* (*Hainaut, Hennegau*).

Tempore illo et anno, cum Gerardus de Sancto-Oberto... contra milites quosdam discordiam haberet et unum de illis servum suum esse assereret, scilicet Achardum de Verli et inde illum in curia comitis Hanoniensis in causam traheret, quadam die... miles quidam Robertus de Belrem probissimus..., consanguineus ipsius Achardi, in superbiam elatus, cum nemo eum super servitute conveniret, publice dixit: « Domine comes, relatum est mihi, quod dominus Gerardus de Sancto-Oberto, me non audiente, dixerit, me ex servili conditione ad ipsum pertinere. Quod si hactenus dixerit, mentitus est, ut nequam et proditor; si autem amodo dicere vellet, mentiretur ut nequam et proditor, et ecce vadium meum paratum contra ipsum ad duellum super hoc ». Gerardus autem... respondit: « Domine comes, Robertus de Belren qui presens est, ipse servus meus est; quod quia negat et se liberum esse dicit, ecce vadium meum paratum, quod mentitur, et ego paratus sum adversus ipsum probare, tamquam adversus nequam et proditorem, ipsum esse servum meum ». Cui Robertus respondit, se liberum esse et ut nequam mentiebatur ipse Gerardus, cum eum super hoc provocabat, datisque in manu domini comitis vadiis duelli, quia in voluntate duelli concordabant, duellum eis adiudicatum est, datisque utrimque obsidibus, dies eis ad duellum constituta est in Montibus [1]. Comes autem in iusticia recto tramite volens incedere, omnes nobiles et sapientes terre sue ad diem illum invitavit... Cum autem dies oportunus accidisset, convenerunt Montibus ad duellum. Comite autem in platea ante monasterium b. Waldetrudis residente cum multis nobilibus et cuiusque conditionis hominibus et episcopo Cameracensi Rogero multisque

[1] Mons.

abbatibus cuiusque ordinis, qui super pace facienda laborare intendebant, circa horam diei primam venit Gerardus de Sancto-Oberto armatus veniensque in presentia domini comitis dixit, se paratum esse ad properandum contra Robertum de Belren, quod proposuerat. Sicque stetit, expectans Robertum; moranteque Roberto qui in ipsa villa Montibus erat — unde omnes astantes mirabantur — hora nona sonuit. Quod videns et audiens Gerardus per se et per prolocutorem suum Hugonem de Crois dixit, quod usque ad horam et ultra horam expectasset adversarium suum et ideo a duello liber esse et querelam suam attigisse et in causa sua obtinuisse debebat; et super hoc iudicium requisivit. Unde homines comitis districtius ammoniti, considerantes solem, et a clericis astantibus instructi, dixerunt horam nonam esse transactam. Demum iudicaverunt, Gerardum a duello esse liberum et quod reclamaverat contra Robertum de iure obtinuisse... Post factum quippe iudicium Robertus venit, et in presentia domini comitis armatus dixit, se paratum esse properare contra Gerardum, quod proposuerat; quem dominus comes de consilio hominum suorum cepit et eum dearmari et detentum custodiri fecit. Gerardus autem de Sancto-Oberto a comite requisivit, ut Robertum sibi adiudicatum ei statim redderet. Quem dominus comes per iudicium hominum suorum eidem Gerardo reddidit.

Sequuntur subscriptiones 56 testium tam laicorum quam clericorum.

M G H Script. XXI 557.

64.

1192. *Annales Stadenses.*

Christianus, comes de Aldenburg, de terra promissionis reversus, consilio fratris Mauricii dormiens in vili horreo cultris est occisus. Interfectores examinati iudicio 12 vomerum, rotae supplicio sunt afflicti.

M G H Script. XVI 352.

65.

1202. *Mathaeius de Montemorenciaco, dominus Marliaci, pactionem facit cum ecclesia s. Genovefae Parisiensi.*

...Quotiescumque ventum fuerit ad vadia duelli [1], ducetur duellum in curia canonicorum in Monte et ibi finietur, salva tamen medietate nostra de emenda duelli.

Gallia christiana 7 (1744) Instr. 225.

66.

1203. *Decanus totumque capitulum ecclesiae cathedralis Parisiensis controversias componit cum hominibus de Veteri Rusca (Villaroche).*

...Quod si inter prefatos homines orta fuerit contencio, tenebimus ibi placitum usque ad duellum, quod Parisius pro voluntate nostra peragendum ducemus. Emendationes duelli secundum consuetudinem castellanie Meledunensis persolventur...

Cartulaire de l'église Notre-Dame de Paris, publ. par *M. Guérard* (Paris 1850 sq.) II 260.

67.

13. saec. in. * *Caesarius Heisterbacensis O. Cist. Dialogus miraculorum* [2].

III c. 16. In Cameraco [3] civitate episcopali infra hoc quinquennium plures haeretici comprehensi sunt, qui omnes timore

---

[1] Vadium (gadium) appellabatur res aliqua, quae a provocante vice pignoris coram iudice in medium proiiciebatur. Qua re se innocentem esse idque etiam duello probaturum profitebatur. Tum accusator aut quivis alius vadium attollens duellum accipiebat. Cui ceremoniae tantam vim tribuebant, ut interdum duellum ipsum « gages de bataille » vocarent. Cf. *Du Cange* sub *vadium duelli*. *Al. Coulin*, l. c. (1907) 72. *M. Pfeffer*, Die Formalitäten des gottesgerichtl. Zweikampfs ; Zeitschrift für roman. Philologie 9 (1885) 29. — [2] Caesarius († c. 1240) scripsit dialogum post a. 1221. — [3] Cambrai.

mortis suam perfidiam negaverunt. Missus est ab episcopo clericus, qui negantes per candens ferrum examinaret, adustos haereticos sententiaret. Examinati sunt omnes, et combusti sunt omnes...

III c. 17. Decem haeretici in eadem civitate, scilicet Argentina, quae est Strazburg, comprehensi sunt. Qui cum negarent, per iudicium candentis ferri convicti, sententia incendii sunt damnati...

IX c. 48... Cumque vir nobilis venisset ad limen palatii..., rediit ad iudicium dicens: « Domine,... praesumo de mea innocentia et Dei misericordia, ut in instanti paratus sim me defendere secundum quod iustitia dictaverit. Et cum sim nobilis, iuri meo cedo ». Respondit Imperator: « Modo loqueris sicut probus vir ». Quaesitus est in parte adversaria miles fortissimus, qui eum singulari duello impeterer. Die vero altera vir nobilis praemissa confessione corpus Dominicum suscepit; sicque cum adversario suo spem habens in eodem sacramento circulum pugnaturus intravit. Quem cum ille sicut vir validissimus impelleret et propelleret et venissent simul ante Imperatorem, audiente tam Imperatore quam circumsedentibus principibus, pugil clara voce ait ad militem: « Dic mihi, comedisti aliquid hodie? » Respondenti illo, « Etiam, corpus Domini mei comedi », miser ille subiunxit: « Etiam si diabolum comedisses, hodie te prosternam ». Ut autem pius Dominus sacramenti virtutem ostenderet, mox post verba blasphemiae vires blasphemo subtraxit et suum militem adeo roboravit, ut illum coram se minaret ut puerum nec stare posset. Qui tandem se reddidit... Haec nobis retulit Theodoricus monachus noster, quandoque Comes in Wiede, qui duello interfuit et haec quae dicta sunt vidit et audivit. Igitur s. communio salus est et animae et corporis.

X c. 35. Referre solet dominus Bernardus de Lippa, quandoque abbas, nunc episcopus in Livonia, quoddam miraculum... Novi, inquit, piscatorem in episcopatu Traiectensi, qui cum quadam femina multo tempore fuerat fornicatus. Et quia eius peccatum nimis erat notorium, tempore quodam in synodo imminenti accusari timens, dicebat intra se: « Quid nunc facies, miser? Si in hac synodo de fornicatione accusatus fueris et confessus, illam in matrimonio mox ducere cogeris; si autem

negaveris, candenti ferro convictus amplius confunderis ». Statimque ad sacerdotem veniens, ...peccatum confessus est; consilium quaesivit et invenit. « Si habes, » inquit sacerdos, « firmum propositum nunquam peccandi cum illa, candens ferrum secure poteris portare ipsumque peccatum negare; spero autem quod virtus confessionis liberabit te ». Quod ita factum est, cunctis stupentibus quibus fornicatio innotuerat. Ecce hic ignis Dei potentia... contra naturam vim suam restrinxit...

Caesarii O. Cist. Dialogus miraculorum, ed. *Ios. Strange* (1846) I 132, 133; II 203, 243.

68.

1212. *Conventio inter abbatem S. Montis Michaelis O. S. B. (Mont-Saint-Michel, Normandie) et conventum de distributione redituum.*

...Ipse siquidem domnus abbas cum consilio bonorum virorum et totius capituli consensu assignavit conventui quaedam maneria... Posuit etiam quidquid habemus in Guernereio et Gersoio; in his maneriis seu villis habebit ipse abbas sicut dominus revelationes [1] et hominia [2] et duellia... [3].

Edm. Martène, Thesaurus novus anecdotorum (Paris. 1717) I 838.

69.

1214. *Acta episcopi Halberstadensis. Decisio litis inter monasterium s. Burchardi et equites templarios.*

...Unde nos utrique iustitiam fieri et veritatem eruere cupientes, habito prius tam clericorum quam laicorum, quorum nomina subscripta sunt, consilio, ad prelibatam discordiam so-

---

[1] Legendum: relevatio = servitus realis sive patrimonialis, qua feudatarius tenens per servitium militare certam pecuniae summam solvere tenetur. *Du Cange* sub *relevium*. — [2] Obsequium quod homo (cliens, servus) domino suo praestare tenetur. Ib. sub *hominium*.

[3] Ius duelli; emolumenta ex duellis provenientia.

piendam, cum fratres Templi instanter negarent, causam igniti ferri examinatione determinandam statuimus, cui sententie non sponte minus ac hilariter prepositus annuebat. Ergo XVIII. Kal. Iulii in maiore nostra ecclesia cum aliis Dei famulis, nostris videlicet maioris capituli canonicis, abbatibus et prepositis synodum celebravimus et cum pluribus tam clericis quam laicis convenientes ibidem in altari s. Stephani prothomartiris ferrum benediximus. Quod ferrum omnino candens et plane ignitum prepositi manum illud per ecclesie navem ad altare s. Marie portantis non solum nullatenus combussit, sed, ut videbatur, multo saniorem postea reliquit. Quo viso omnis presentium multitudo acclamabat, laudes Deo concinens, et fratres Templi non modice stupefacti eoque prodigio palam confusi, nobis culpam professi sunt seque in omnibus iuste satisfacere aut retenta reddere velle sposponderunt. Quod et placitum fuit utrobique.

Sequuntur subscriptiones.

Urkundenbuch der Stadt Halberstadt I; Geschichtsquellen der Provinz Sachsen 7 (1878) n. 19.

70.

1219. *Emo abb. Floridi Horti O. Praem.* (*Bloemhof, Frisia*). *Chronicon.*

Unde posita est terra [Frisia] in salsuginem a malicia inhabitantium in ea. Ibi ordinantur presbiteri sine certo titulo contra illud dist. 70 [1]. Ferri candentis purgatio non aboletur contra illud II q. 5 *Abolenda* [2].

M G H XXIII 491.

71.

1222. *Philippus II Augustus convenit cum episcopo Parisiensi de aliquibus servientibus liberis.*

...In burgo s. Germani et cultura episcopi et in claustro Brunelli habemus raptum et multrum, quando raptores et mul-

[1] *Gratianus* D. LXX 1. — [2] C. II 5, 20; cf. I n. 14.

trarii capti sunt ad presens forisfactum vel sponte confessi et habemus eorum mobilia sine diminutione. Quod si negent se captos fuisse ad presens forisfactum vel sponte confessos fuisse, et prepositus noster Parisiensis inde habuerit testes ydoneos, episcopus tenetur eos recipere super hoc; per quos si convicti fuerint, reddentur preposito nostro sicut convicti per duellum. Quod si raptores vel multrarii capti non fuerint ad presens forisfactum vel sponte confessi, et aliquis per duellum velit eos super multro vel raptu convincere, duellum erit in curia episcopi.

M. Guérard, l. c. (n. 66) I 123.

72.

1227. *Compositio inter episcopum et cives Mutinenses* (*Modena*).

...Quum quaestio contentio et causa verteretur inter episcopum Mutinensem ex parte una et comune civitatis eiusdem ex altera sub episcopo Bononiensi et coniudicibus suis, que talis erat: petebat namque predictus episcopus a comuni Mutin. omnem iurisdictionem et districtum in civitate Mutine et per tria milliaria in circuitu civitatis eiusdem tam in civilibus quam in criminalibus causis. Item in emancipationibus, tutelis, curationibus, duellis et curariis mercatorum... E contrario autem cives Mutine respondebant iurisdictiones suprascriptas... ad civitatem Mutine integre pertinere... Cumque supra predictis fuisset per multos annos inter predictas partes in multis laboribus et expensis diutius litigatum, tandem placuit eis ad invicem super predictis transigere et per transactionem perpetuam firmiter concordare in hac videlicet forma... Quod omnis iurisdictio, que consistit tam in civilibus quam in criminalibus causis..., item in emancipationibus, tutelis, curationibus, duellis et curariis merchatorum tam in civitate quam in episcopatu Mutinensi per totum ad comune Mutine libere cum omni integritate pertineat...

Girol. Tiraboschi, Memorie storiche Modenesi col codice diplomatico IV (1794) Cod. dipl. 90.

73.

Acta Parlamenti Parisiensis.

1236. Thomas Bretel, iuratus dixit quod prepositus de Lormeia occidit quemdam presbiterum apud Doens; captus fuit in domo sua et adductus fuit apud Meduntam [1] et ibidem suspensus, et hoc vidit et presens fuit. Et obtulit se ad iudicium aque et per iudicium periit et fuit condempnatus.

1257. Arrêt portant que l'abbé de Coulombs [2] doit avoir les biens de ceux des ses hôtes qui succombent dans un duel judiciaire, et une amende quand le duel a été prévenu par une composition. Le duel entres les hôtes de l'abbaye devait avoir lieu devant la justice royale à Nogent.

1264. Arrêt pour l'évêque d'Auxerre contre le comte Eude de Nevers au sujet de la haute justice de la ville de Cosme. Il fut reconnu que l'évêque avait droit d'avoir un pilori [3] et d'ordonner les duels.

M. E. Boutaric, Actes du Parlement de Paris (1863/67) I p. cccv ; I n. 142 ; II n. 818.

74.

1240, *Chronicon s. Catharinae de Monte Rotomagi O. S. B.* (*Sainte Catherine-du-Mont prope Rouen*), script. saec. 13.

...Duellum [4] autem illud factum fuit in pratis quae sunt inter ecclesiam s. Martini de Vetere Vernolio [5] et manerium dicti abbatis [6] in terra et feodo eiusdem abbatis, ubi edictum

---

[1] Mantes (Seine-et-Oise). — [2] O. S. B. dioec. Carnotensis.

[3] Pilori (pilloricum) = custodia (turris) in qua inquirendi tenebantur et circa quam praesertim condemnati propalam exponebantur et puniebantur. Erat signum et symbolum altae potestatis iudicialis. Cf. *L. Tanon,* Histoire des justices des anciennes églises et communautés monastiques de Paris (1883) 27, 226.

[4] Agitur de praefectura aliqua de qua duo equites ambigebant et propter quam « per duos bellatores singulare certamen inierunt ».

[5] Verneuil-sur-Avre. — [6] Gemeticensis (Iumièges. dioec. Rouen).

iudiciarium, sicut mos est in duello, de cogendo assistentes sedere pacifice circa campum vel circulum pugnantium, exclamatum fuit et nuntiatum alta voce cuiusdam servientis dicti abbatis, nomine eiusdem abbatis; tacito prius et posterius omni nomine cuiuslibet iudicis secularis, praesentibus multis. Et memorandum est quod statim post finem duelli pars bellatoris devicti persolvit dicto abbati LX solidos et unum turonensem pro devictione sui bellatoris. Iterum pars bellatoris devicti per iudicium curiae dicti abbatis solvit bellatori vincenti XVI solidos turonensium pro qualibet plaga in qua fuit fracta cutis ad sanguinem.

M. Bouquet XXIII 399.

75.

1241. *Charta ex tabulario ecclesiae cathedralis Novariensis.*

Paganus de Casalino promisit aliquibus canonicis huius ecclesiae et vicariis episcopi se soluturum eisdem solidos IX imp. vel duplum tertiolorum, si contingerit quod campio suus, qui facturus erat duellum cum Gregorio filio quond. de Pertusio de discordia, quae vertebatur inter ipsum Paganum ex una parte et Claram filium q. Girardi de Parma ex altera, succumberet, vel si concordia inde fieret.

Monumenta historiae patriae, l. c. (n. 8) 590.

76.

Georgius Pachymeres († post 1308). *Michael Palaeologus* [1].

c. 1258. I c. 12. Imperator [Theodorus II Laskaris] gravi morbo implicatus saepe concidebat... Tunc cogitatio — nescio

[1] Interpretatio quam maxime ad textum graecum accedit. Altera versio, minus arte ei adiuncta, a Petro Possino S. I. facta est, qui primus eum edidit. Exstat in corpore supra citato et apud Migne, Patrol. graeca latine tantum edita LXXII 233-558. De Georgii vita et scriptis v. Dictionnaire de théol. cathol. (1932) sub *Pachymère*

unde — in animam eius venit, hunc morbum a daemonum artibus fuisse causatum, dum vulgus autem, in huiusmodi res facile credulum, attribuebat culpam Muzalonibus, qui hoc fecissent, ut altiores dignitatis gradus obtinerent. Aeger autem, quemcumque artis magicae accusatum audiebat, suspectum habuit. Qui, delata ad eum tali insimulatione — neque licitum erat eam dissimulare — confestim iussit inquirere. Probationes vero non erant iudicum vota nec testimonia testium nec prioris vitae disquisitio nec quodcumque mendaces convincere potuerat, sed unicum medium liberationis in eo erat, ut suspecti ferrum ignitum, quod sanctum vocabant (μύδρον ἐκ πυρὸς ἤδη ζέοντα, ὃ δὴ καί ἅγιον ἐπεφήμυζον), nuda manu apprehensum ter per spatium dimensum portarent. Qui antea, manu panno involuta et obsignata, ne quis eam unctionibus ab igne muniret et defenderet, ieiunio et oratione per triduum se praeparabant. Vidit, qui haec scribit, iam pubes factus, qui tale quid susceperant — mirabile dictu — plane illaesos evasisse.

c. 1260. II c. 1... Promittebat [Michael VIII Palaeologus, 1259-1282] de iniustis exactionibus ne sermonem quidem fore neque locum eum daturum calumniis. Contra quas nulla iam monomachia, nullum iam ferrum atque magnum incursuros magistratus periculum, si quem ferro ignito probarent ..[1].

Georg. Pachymeres, De Michaele et Andronico Palaeologis, recogn. *Immanuel Bekkerus;* Corpus script. hist. Byzant. (Bonnae 1835) I 32, 92. P G CXLIII 466, 527.

---

[1] Etiam Georgius Acropolita († 1282) in sua Χρονικὴ συγγραφή narrat c. 50, tempore Iohannis III Vatatzes (1222-1254) certamen singulare et ferrum ignitum tanquam medium processuale adhibitum quidem, a Phoca autem episcopo Philadelphiensi reiectum fuisse « utpote neque nostri neque Romani instituti neque ecclesiasticae traditionis ». Georgii Acropolitae Annales, recogn. *Imm. Bekkerus;* Corpus script. hist. Byzant. (1836) 104; P G CXL 1114. Examen ferri igniti autem adhuc saec. 14. med. locum habuisse, potes videre ex textu infra n. 81 allato.

77.

1257/58. *Guilelmus Carnotensis O. Pr., capellanus regius. De vita et actibus... Ludovici IX.*

Monomachiam, quae bellum dicitur vel duellum, convocato discretorum et iurisperitorum consilio, [quos] ex diversis regni partibus congregavit, intellecto per eos quod sine peccato mortali exerceri non poterat, cum non videatur esse iustitia, sed potius tentatio sit in Deum, de dominio suo penitus exterminari decrevit, ordinato de modo alio iuri consono procedendi et probandi, per testes scilicet et instrumenta vel etiam rationes secundum quod iuris ordo exigit [1].

Acta Sanctorum (Bolland.) Aug. V 564; *M. Bouquet* XX 54.

78.

1269. *Acta duelli in curia ecclesiae cathedralis Parisiensis.*

...Et tradita fuerunt coram dicto camerario vadia duelli. Et tandem ictus capituli, qui vulgariter dicuntur les « cous-

---

[1] Textus huius decreti, quod pro sola ditione regia, non autem principum vasallorum valebat, est hic: « Nous deffendons à tous les batailles par tout nostre demenge..... et en lieu des batailles nous meton prüeves de tesmoins, et si n'oston pas les autres bones prüeves et loyaux, qui ont esté en court laye siques à ore ». Recueil général des anciennes lois françaises par *Jourdan, Decrusy, Isambert* (Paris 1828 sq.) I 284. Cf. de hoc decreto *L. Tardif,* Nouvelle revue historique de droit français et étranger 11 (1887) 163 et infra n. 82. Quod cum successu careret, Philippus IV (1306) antiquum usum quadamtenus revocans legem condidit, quae in criminibus capitalibus, furto excepto, certamina iudiciaria, si aliae probationes deessent, permittebat et praescribebat. Ib. II 832. Quam alia quoque decreta regum et parlamenti confirmabant, ita ut duella etiam saeculo 14. non raro locum habuerint. Cf. infra n. 83 et *Al. Coulin,* l. c. (1909) 69.

lou-roi » [1], dati fuerunt coram dicto Symone, camerario, tenente iustitiam pro capitulo, et fuerunt dati in claustro, in domo thesaurarii Pontissarani, que alias dicitur domus domini Richardi cardinalis, et de hoc eciam capitulum habuit iura sua.

M. Guérard, l. c. (n. 66) III 433.

79.

Annales Dominicanorum Colmariensium.

1278. Item rusticus quidam de Vilingen candens ferrum portavit nuda manu sine corporis lesione.

1288. In civitate Bernensi mulier virum vicisse noscitur in duello [2].

M G H Script. XVII 203, 215.

---

[1] Post initium certaminis, primis plagis datis et acceptis, uterque potuit compositionem pacificam proponere atque ita litem finire (supra n. 41). Quae plagae « ictus regis, coups-le-roi » vocabantur. Haec consuetudo multum contulit ad reprimenda duella gravia et letalia. Cf. *L. Tanon*, l. c. (n. 73) 21.

[2] Pugna iudicialis inter virum et mulierem, praesertim in Germania meridionali et Helvetia, durante toto medio aevo in usu erat. Quam e. gr. commentarius anonymus (14. saec.) legum, quas episcopus Lausanensis a. 1368 dederat, sic describit: « Si vero mulieres in duello preliare contingunt, armare debent de vache, ut melius possint, et debent habere ad preliandum quelibet in uno sacco tres lapides eiusdem grossitudinis et equalitatis. Si vero contingerit duellum adiudicari viro et mulieri, vir armatus debet esse de coreo bullito, ut supra dictum est, et debet preliari contra mulierem intra unum crosum latitudine novem pedum et profunditate trium vel alias secundum qualitatem ipsius; viri pugilles debent preliari cum uno baculo lineo, ut supra declaratur; mulier armata debet esse de pathes, ut melius potest, et debet preliari cum tribus lapidibus in uno sacco... ». *Mémoires et documents publ. par la Société d'hist. de la Suisse Romande* I 7 (1846) 445. Imaginem talis pugnae habes ex codice Solodorensi apud *Hans Fehr*, Das Recht in der Dichtung (s. a.) 221.

80.

c. 1320. *Anonymus Ticinensis* (*Pavia*). *De laudibus civitatis Ticinensis* (script. c. 1320).

Olim aliquando rarissime consueverant discernere causas criminales per duellum... Predicta vero duella, que numquam tempore meo facta sunt tum ob iuris inhibitionem tum propter innocentes, qui aliquando succumbentes iniuste puniebantur, totaliter sunt obmissa.

L. A. Muratori, Rerum Italicarum scriptores (Mediolani 1723/38) XI 1, 28. PG CLIII 863.

81.

14. saec. med. *Iohannes Cantacuzenus* († c. 1380), *ex-imperator Constantinopolit., monachus. Historiae.*

III c. 27. In urbe Didymotichi civis quidam bene notus suspicari coepit de thori pollutione neque se fefellit. Quod cum prae aemulatione celare non posset, argumenta innocentiae, quae eum convincerent, ab uxore efflagitavit... Haec autem in eo consistebant, quod ignem ardentem in manum susciperet; aliter enim se confisurum negabat. Mulier et intelligens, quam periculosum esset facinus fateri — adulterium enim capite puniebatur — et putans id contactu ferri manifestum fieri, utrimque in summas angustias adducta erat atque ad magnum illum episcopum [Didymotichi] confugit. Quem omnibus expositis rogavit, ut malo consilio in hac extrema miseria versatam defenderet neve contemneret, sed maritum ab illa probatione averteret atque doceret eam tale quid non fecisse. Sciscitatus episcopus, num libidine doleret et posthac castam vitam promitteret et videns eam... promptam ad poenam subeundam,... iussit eam ferrum contingere, ut maritus voluerat, et ignis discrimen adire. Quae domum rediens, ut examen appareret, a marito petiit. Qui... eam solam in templum quoddam adducens, atque ferrum, quantum potuit, ignitum forcipe in eius manus imposuit atque eam ter sacrum suggestum circumire iussit. Quae ut illaesa, quasi ignem omnino non tetigisset, mansit, vir, abiecta suspi-

cione ferrum super suggestum poni mandavit, quem utpote maxime candens perforavit atque in terram decidit.

Ioa. Cantacuzeni Historiarum libri IV, cura *Ludov. Schopeni* II : Corpus scriptorum hist. Byzant. (1831) 172.

82.

1356. *Acta Parlamenti Parisiensis.*

...Quod usu et consuetudine notoria regni nostri et precipue baillivie Silvanectensis [1] necnon ordinaciones regias super hoc editas [2], ad hoc quod aliquis ad gagium duelli in dicto regno nostro proponendum admitteretur, plura requirebantur : primo videlicet, quod casus, occasione cuius fit prosecutio, foret criminalis et capitalis ; secundo, quod in rei veritate dictus casus accidisset, et tertio, quod persona ad dictum gagium provocata, esset de huiusmodi casu notorie et graviter diffamata ; quarto, quod dictus casus per testes aut aliter quam per dictum duellum ullomodo sciri vel probari non valeret ; et quinto, quod casus huiusmodi personam provocatam seu eius proprium interesse concerneret et tangeret ; quibusque conditionibus aut altera ipsarum deficientibus, gagium intervenire non poterat.

L. Tanon, l. c. (n. 73) 20.

83.

1386. *Chronicon monachi s. Dionysii.*

VII c. 11. Iohannes Carrouget amicum Iacobum dictum le Gris, a quo uxorem suam oppressam fuisse falso putabat, Parisiis ante regem accusabat atque a negante delictum duellum expostulabat.

Cum autem [Iohannes] in presencia regis et baronum constitutus fuisset et enormitatem delicti absque erubescencie velo serietenus narrando reiteratis vicibus et importune conclusisset : « Si dilectissimam deceptam et violencia circumventam neget iniquus proditor, non recuso pugnam committere singularem », tandem militi rex assenciit, dum tamen in parlamento suo id iustum reputaretur. Ibi pro utraque parte ab oratoribus electis

[1] Senlis. — [2] Cf. supra n. 77.

racionibus allegatis, cum deformitatis veritas testibus elucidari non posset, ut alterutrius oppinionis integritas nosci posset per humanum iudicium, mandata est exequcioni dari regalis sentencia... Stante igitur corona vulgi innumerabilis. rege quoque et principibus de more circumlocatis liteque contestata coram ipsis, locum futuro certamini deputatum iuxta muros s. Martini de Campis ambo ingressi, martem dubium experturi; moxque mutue invasionis a marescallo signo dato, equos abigerunt et, infestis demissis gladiis, lento gressu procedentes tam animose quam audacter se impingunt. Ad istum primum impetum domini Iohannis femur alter gladio perforavit; et hic ictus sibi multum profuisset, si in vulnus domini illum tenuisset, sed statim extracto fit sanguis cunctis spectaculo; qui tamen vulnerato non stuporem, sed audaciam augmentavit. Abhinc horror ingens diu spectantes perstrinxit; et neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque, cum Iohannes colligens in vires animum, propius accedens et exclamans: « Nostrarum licium dies iste sentenciam fert », sinistra manu summitatem galee apprehendit, Iacobum ad se traxit atque inde paululum retrocedens, ipsum armis onustum gravibus solo deiecit prostratum. Quo peracto, ensem traxit et hostem, quia per totum armis coopertus erat, cum difficultate magna interfecit. Et quamvis sic victus subiacens et de veritate fatenda pluries interrogatus a victore, casum penitus denegasset, ad patibulum tamen, secundum consuetudinem duellorum, adiudicatur trahendus. Sic mater erroris, noverca consilii, repentina credulitas iniustissimum duellum excitavit. Quod postmodum omnibus notum fuit, eo per iudicium ad mortem condempnato, qui adulterium nephandum commiserat. Quod attendens prefata domina et culpam animo revolvens, inde post mortem mariti reclusa effecta, voto se perpetue continencie obligavit [1].

Chronique du religieux de Saint-Denys, contenant le règne de Charles VI, de 1380 à 1422, publ. par *M. L. Bellaguet;* Collection de documents inédits sur l'hist. de France (1839/52) I 462.

[1] Alia duelli iudiciarii exempla gallica saeculi 14. praebet *Al. Coulin*, l. c. (1907) 14 et (1909) 104, *L. Tanon*, l. c. (n. 73) 21, *Gust. Ducoudray*, Les origines du Parlement de Paris et la justice au XIII^e^ et XIV^e^ s. (1902) 403. Cf. etiam supra n. 29.

III. — Theologi et canonistae.

84.

c. 500-516. *Avitus, archiep. Viennensis* († 518).

.....Temporibus praedicti Gundobadi regis Burgundionum fuit in urbe Vienna sanctus episcopus, Avitus nomine..., qui cum eodem Gundobado frequenter de fide altercans et dialogos in presenti conficiens et epistolis absenti respondens, plura et clara ingenii sui et virtutis opera reliquit, qui, ipso Gundobado in sua perfidia perdito, successorem eius, Sigismundum regem, ad fidem catholicam convertit... Quid iste venerandus et sanctus vir sepedicto Gundobado [1] de supradictis certamentis respon-

---

[1] Gundobadus, Arianae haeresis assecla, rexit 474-516 ediditque c. 501 legem hanc : « Multos in populo nostro et per vacationem causantium et cupiditates instinctum ita cognoscimus depravari, ut de rebus incertis sacramenta plerumque offerre non dubitent et de cognitis iugiter periurare. Cuius sceleris consuetudinem submoventes praesenti lege decernimus, ut, quotiens inter homines nostros causa surrexerit et is, qui pulsatus fuerit, non deberi a se quod requiritur, aut non factum quod obicitur, sacramentorum oblatione negaverit, hac ratione litigio eorum finem oportebit inponi : ut, si pars eius, cui oblatum fuerit iusiurandum, noluerit sacramenta suscipere, sed adversarium suum veritatis fiducia armis dixerit posse convinci, et pars diversa non cesserit, pugnandi licentia non negetur ; ita ut unus de eisdem testibus, qui ad danda convenerint sacramenta, Deo iudicante confligat ; quoniam iustum est, ut si quis veritatem rei incunctanter scire se dixerit et obtulerit sacramentum, pugnare non dubitet. Quod si testis partis eius, qui obtulerit sacramentum, in eo certamine fuerit superatus, omnes testes se promiserant iuratores, trecenos solidos

derit, audiat, si placet, benignitas vestra. Cum de his inter utrumque sermo esset, et beatus Avitus talia certamina reprehenderet, respondit ei Gundobadus: « Quid est quod inter regna et gentes vel etiam inter personas sepe singulos dirimendae preliis causa divino iudicio committuntur, et ei maxime parti cui iustitia competit, victoria succedit? ». Ad quod beatus Avitus intulit dicens: « Si divinum inquam iudicium regna et gentes expeterent, illud prius quod scribitur formidarent, dicente psalmysta: *Dissipa gentes que bella volunt* [1] et illud diligerent quod perinde dicitur: *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus* [2]. An forte sine telis et gladiis causarum motus aequitas superna non iudicat, cum sepe, ut cernimus, pars aut iuste tenens aut iusta deposcens laboret in preliis, et prevaleat inique partis vel superior fortitudo vel furtiva supreptio... ».

Ex Agobardi archiep. Lugdunensis epistola ad Ludovicum I imperatorem (c. 817). M G H Auct. ant. VI 2, 2; M G H Epist. V 163; P L CIV 124.

85.

Agobardus archiep. Lugdunensis († 840) [3].

c. 817. Epistola ad Ludovicum imperatorem adversus legem Gundobadam [4] et impia certamina, quae per eam geruntur [5].

M G H Ep. V 158; P L CIV 114.

---

multae nomine absque ulla induciarum praestatione cogantur exsolvere. Verum si ille, qui renuerit sacramentum, fuerit interemptus, quidquid debebat, de facultatibus eius novigildi solutione pars victoris reddatur indempnis, ut veritate potius quam periuriis delectentur ». M G H Legum sect. I 2, I (1892) 75

[1] Ps. LXVII 31. — [2] 5. Mos. XXXII 35 = Rom. XII 19.

[3] Sicut n. 86 textus ipse utpote nimis longus non citatur. De b. Agobardi opinione disserunt inter alios *A. Saplayrolles*, Recherches sur le duel judiciaire et la doctrine ecclés. (Reims 1902) 27 et *S. Grelewski*, La réaction contre les ordalies en France depuis le IX^e^. s.; Agobard et Yves (Rennes 1924). — [4] Supra n. 84. — [5] Poeta quidam dioec. Frisingensis (post a. 834) similem b. Agobardo sententiam protulit. M G H Poet. lat. II 1, 120.

post 817. Liber de divinis sententiis digestus cum brevissimis adnotationibus contra damnabilem opinionem putantium divini iudicii veritatem igne vel aqua vel conflictu armorum patefieri.

P L CIV 249.

86.

860. *Hincmarus archiep. Remensis. De divortio Lotharii regis et Tetbergae reginae* [1].

Disserit auctor in interrogatione sexta et nona [2] plene de aquae ferventis et frigidae iudicio, quod ut ab ecclesia introductum defendit, monomachiam autem non commemorat.

P L CXXV 659, 677.

87.

924-961. *Atto ep. Vercellensis. De pressuris ecclesiasticis.*

I... Addunt insuper, quoniam si aliquis militum sacerdotes Dei in crimine pulsaverit, per pugnam hoc singulari certamine esse discernendum. Sed istud iudicium quorundam laicorum solummodo est, quod nec in ipsis etiam omnino adprobatur. Nam saepe innocentes victi, nocentes vero victores in tali iudicio esse videntur... Et Dominus in evangelio diabolo sibi suadenti, ut Dei Filium se esse de templi praecipitando pinna ostenderet, ait: *Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum*... Haec tamen omnia et alia s. scripturarum documenta maligni parvipendentes, ad pugnam sacerdotes impingere quaerunt, nullam amplius reverentiam ipsis observantes, nisi quod non propriis

---

[1] Cf. I n. 8-10.

[2] Hanc partem libri etiam separatim circa a. 870-875 episcopo Meldensi misit. P L CXXVI 161. De sententia Hincmari vide *Max Sdralek*, Hinkmars von Reims kanonistisches Gutachten über die Ehescheidung des Königs Lothar II (1881) 41; *Heinr. Schrörs*, Hinkmar Erzbischof von Reims (1884) 190; *A. Esmein*, Les ordalies dans l'Eglise gallicane au IX^e^ s., Hincmar de Reims et ses contemporains (1898); *A. Saplayrolles*, l. c. 41.

manibus, sed per submissas personas illis in tali discrimine iudicant dimicare, et quibus prohibitum est armatorum cuneis vel etiam publicis spectaculis interesse, ad pugnam producere heu! nostros compellimur vicarios, ut vel istorum caede victi vel illorum quasi absoluti esse videamur nec purgati a crimine, nisi perpetrato crimine, valeamus. Quum enim praeceptum sit David non aedificare visibile templum, quia sanguinum vir belli frequentia esset, quomodo poterint sacerdotes bellum aut pugnam inire, qui templum debent aedificare, id est ecclesiam Dei docere?...

Atonis opera, ed. a *Car. Burontio* (Vercellis 1768) II 326, 328; P L CXXXIV 58, 60.

88.

1099. *Ivo ep. Carnotensis. Ep. 74 aa Hildebertum de Lavardin ep. Cenomanensem* (*Le Mans*).

Quantum ex tenore litterarum tuarum perpendi, ad suggestionem aemulorum tuorum de proditione Cenomanicae urbis nuper facta insimulare te molitur regis Anglorum [1] metuenda severitas, nulla adversum te legitima accusatione prolata, sed pravorum delatione, coniecturarum divinationibus palliata, et cum paratus sis ad perficiendam purgationem legitimam, non aliter vult te huius proditionis immunem credere, nisi igniti ferri examinatione demonstres innocentiam tuam. Consulis itaque humilitatem meam, utrum tibi bene conscius pro conservanda integritate famae tuae et recuperanda regis gratia debeas voluntati eius acquiescere an quaelibet adversa pati, ut non recedas ab ordine. Breviter itaque tibi respondeo, consulens ut non transgrediaris terminos antiquos, terminos quos posuerunt patres tui. Aliter namque innocentiam defendere, est innocentiam perdere. Monomachiam enim et ferri calidi examinationem nec consuetudo ecclesiastica in discutiendis causis ecclesiasticis recipit nec canonica auctoritatas instituit. Unde Nicolaus in causa Regis Lotharii et Thebergae de falsis criminibus impe-

[1] Guilelmus II Rufus (1087-1100).

titae: *Monomachiam — tentare videantur* [1]. Dicit autem Augustinus in libro quaestionum super Genesim: *Quando habet homo, quod faciat, non debet tentare Deum suum* [2]. Inde etiam ita scripsit Alexander II Papa Rainaldo Cumano episcopo: *Super causas Guillandi — prohibemus firmissime.* Inde etiam Stephanus V Papa dicit Lamberto ep. Maguntino: *Ferri candentis — filiorum hominum...* [3]. Tu itaque his et aliis auctoritatibus Patrum undique munitus, viriliter age, et ne de te aliis praebeas exemplum, futuris et praesentibus nocuturum.

M. Bouquet XV 103; P L. CLXII 96.

89.

c. 1106. *Ivo. Ep. 168 ad Daimbertum archiep. Senonensium de iure construendi munitionem in fundo aliquo.*

Quae altercatio cum aliquandiu durasset, praecipimus iudicium fieri; iudicatumque est, quia haec causa sine monomachia terminari non poterat et iudicium sanguinis nobis agitare non licebat, ut utraque pars irent in Curiam Comitissae [4], ad quam talia iudicia pertinebant et de cuius feudo ista tenebant. Sicut iudicatum erat, venerunt utrique in curiam Comitissae et, actionibus utrimque ventilatis, nescio quibus de causis vicecomes a causa cecidit...

Mart. Bouquet XV 137; P L CLXII 171.

90.

1106-1117. *Ivo. Ep. 252 ad Radulfum archiep. Remensem.*

...Habet enim praesens frater sororem quamdam coniugatam, quam per coniecturas suspectam habet maritus suus de adulterio, non in adulterio deprehensam, non testibus convictam

---

[1] I n. 9. — [2] c. 26. P L XXXIV 555. Ivo citat textum paulum mutatum, quem etiam posteriores scriptores, e. gr. *Gratianus* (C. XXII 2, 22) habent. — [3] I n. 15, 14. — [4] Adela Carnotensis.

nec ab aliquo accusatam. Cum ergo ita res se habeat, maritus tamen huius mulieris thorum coniugii deseruit et debitum coniugale subtraxit. Quod audiens pater generum suum convenit et causam, cur hoc faceret, diligenter inquisivit. Qua audita voluit filiam suam de obiecto crimine iureiurando purgare et insuper praecipiti voluntate et sine consilio addidit, quod mulier examinatione candentis ferri parata esset comprobare, quod nunquam fuerit cum praedicto viro una caro, de quo orta erat tam flagitiosa suspicio. Paulo post ventilata est haec causa ante iudices ecclesiasticos, quorum quidam dicebant, quod in huiusmodi causa non esset admittenda talis examinatio, in qua nulla iudiciario ordine facta praecesisset accusatio. Alii vero aliis ita dissentientibus iudicaverunt, quod iusta esset ista examinatio quam mulier obtulerat ex suo iudicio, non attendentes quia nemo debet tentare Deum suum, quandiu habet qui faciat. Tunc enim tentat homo Deum suum, quando postposito ordine iudiciario per examinationem candentis ferri vel aquae ferventis divinum requirit testimonium.

Citat Stephanum papam [1].

Non negamus tamen, quia ad divina aliquando recurrendum sit testimonia, quando, praecedente ordinaria accusatione, omnino desunt humana testimonia; non quod lex hoc instituerit divina, sed quod exigat incredulitas humana, sicut de iuramentis habemus in evangelio: *Non iurabis omnino; sit autem sermo vester: est, est, non, non; quod amplius est, a malo est* [2], non iurantis, sed iurare cogentis. Cum ergo ita omne iuramentum prohibeat praeceptum evangelicum, Paulus [3] tamen negotia ecclesiastica ita terminari permittit in ecclesia, ut propter infirmitatem litigantium iuramentum finis sit in omni controversia.

P L CLXII 258.

---

[1] I n. 14.
[2] Matth. V 34, 37.
[3] Hebr. VI 16.

91.

1106-1117. *Ivo. Ep. 205 ad Guilelmum nobilem et strenuum militem Suessionensem.*

Missus a te clericus anxie et diligenter ex tua parte consuluit [1] parvitatem meam, quid sentiam super inhonesta suspicione quam coniecisti in uxorem tuam, opponens ei non esse genitum ex te quod peperit, dum morareris in Anglia... Auges inde suspicionem tuam quod miles, quem de concubitu uxoris tuae suspectum habebas, cum subiisset examinationem ferri candentis ad se purgandum, cauteriatus est, nec ullus producitur accusator aut testis qui suspicioni tuae nisi de coniecturis ullum praebeat argumentum. Pro quibus aliquem condemnare nec usus maiorum nec ulla legum concedit auctoritas... Simili modo cauterium militis nullum tibi certum praebet argumentum, cum per examinationem ferri candentis occulto Dei iudicio multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes saepe damnatos. Praeterea cum talis examinatio sit in Deum tentatio, non est mirum si divino auxilio deseritur, cum incaute et sine iudiciali sententia ab aliquo suscipitur...

P L CLXII 210.

92.

1106-1117. *Ivo. Ep. 249 ad Girbertum archidiaconum Parisiensem.*

Cum actum et consensum pari poena condemnet apostolus [2] et per innocentes testes crimina comprobanda sint, non mihi videntur testes sufficere ad convincendam moecham, quam, vivente adultero, timore vel amore publicare vel accusare noluerunt. Quorum etiam quidam lenocinia turpitudinis adulterae ministraverunt et ita sicut ipsi nunc testantur, consentientes procul dubio fuerunt et ideo sicut scitis, de se confessis non est cre-

[1] Eadem res agitur atque in epistola praecedente.
[2] Rom. I 32.

dendum super crimen alienum. Si tamen in aliis honesti sunt et ex eorum accusatione fama crebrescit et foedus rumor infirmorum conscientias percutit, cogenda est mulier, ut ad arbitrium praesidentium de obiecto crimine probatarum personarum testimonio se expurget. Vel si id facere non poterit, candentis ferri examinatione innocentiam suam comprobet. Si haec causa apud me ita ventilaretur, ita eam vellem tractari, ita rei veritatem investigari, nihil praeiudicans sententiae aliorum, qui forsitan aliter sentiunt et talia negotia saepius discutiunt [1].

P L CLXII 255.

93.

1107-1110. *Goffridus abb. Vindocimensis* (*Vendôme*, † 1132) *Petro ep. Santonensium* (*Saintes*).

Ep. III 39. Audivimus, dilectissime pater, Rainaldum Chesnellum clericum vestrum cum domno Guillelmo monacho nostro duellum coepisse, nullum tamen ex sua parte vel ex parte monachi testem habuisse. Quod quia saeculi leges nulla ratione fieri permittunt, et s. canones omnino, ne fiat, interdicunt, humiliter rogamus, ut quid in episcopatu vestro ab ecclesiasticis viris contra ecclesiasticas regulas praesumptum dinoscitur, vestra auctoritate irritum fiat et corrigatur... Si vero Rainaldus vester claves s. ecclesiae agitare et Romanorum decreta pontificum, quae inter ecclesiasticos viros monomachiam penitus inhibent, adnullare conatur, contra eius inflatos conatus humilitatem Romanae ecclesiae, quae inflata crepare et superba premere novit, appellamus.

Iac. Sirmondus S. I., Opera varia (Venetiis 1728) III 508; P L CLVII 138.

---

[1] De sententia b. Ivonis, qui in aliis quoque litteris de ordaliis et monomachia loquitur, vide inter alios *P. Fournier*, Yves de Chartres et le droit canonique; Revue des quest. histor. 63 (1898) 76. *S. Grelewski*, l. c. (n. 85) 74. *C. de Smedt*, Le duel judiciaire et l'église; Études 64 (1895) 67. *Fr. X. Barth*, l. c. (n. 44) 86. *Bernh. Schwentner*, Die Stellung der Kirche zum Zweikampfe bis zu den Dekretalen Gregors IX; Theol. Quartalschrift 111 (1930) 216.

94.

1106-1139. *Gilbertus ep. Limericiensis* (*Limerick, Irlandia*). *De statu ecclesiae.*

Benedicere potest, praesente episcopo, aquam et sal in Dominicis sacerdos et prandium et sponsum et sponsam et lecturos lectiones praeter evangelium et aquam iudicii vel panem et caetera... Consecrat autem episcopus... ferrum iudiciale.

P L CLIX 1000, 1002.

95.

c. 1140. *Gratianus. Concordia discordantium canonum.*

C. II 5, 19. Summarium. Iuramento vero candentis ferri vel ferventis aquae purgatio non est addenda. Unde Stephanus V Luiberto Maguntino ep.: c. 20. Ferventis aquae et candentis ferri iudicium fieri in ecclesia prohibetur. *Consuluisti — se excusare nequibit* [1]. Hoc autem utrum ad omnia genera purgationis an ad hec duo tantum, que hic prohibita videntur, pertineat, non immerito dubitatur propter sacrificium zelotipiae et illud Gregorii: *Si vir, qui frigidae naturae esse dicitur, per verum iudicium probare potuerit, uxorem suam numquam se cognovisse, separetur ab ea* [2]. In libro namque Numerorum legitur Dominus praecepisse Moysi, ut loqueretur filiis Israel et diceret eis: *Vir cuius uxor — et faciet liberos* (V 12-28). Sed quelibet huiusmodi purgatio videtur esse inhibita, cum in premissa auctoritate Stephani papae dicatur: *Spontanea confessione etc.* Citantur I n. 9, 61, 69.

96.

c.1144-1150. *Paucapalea. Summa* (*Commentarius Gratiani*).

Ad C. II q. 5 c. 22 *Monomachiam...* [3]. Quod vero contra alibi legitur, intelligendum est vel ex diversarum provinciarum

[1] I n. 14. — [2] I n. 2. — [3] I n. 9.

consuetudine vel ex legibus principum, ut sunt leges Longobardae, introductum esse.

Die Summe des Paucapalea über das Decretum Gratiani, her. von *Ioh. Friedr. v. Schulte* (1890) 60.

97.

ante 1145. *Robertus Pullus* (*Pulleyn*), *magister Oxoniensis et Parisiensis. Sententiarum libri octo.*

IV c. 53... Monendus est [accusatus a sacerdote], ne divini examinis discussionem subiturus illum prius exasperet periurio, quo post in iudicio eget patrono. Nam qui peierando summum iudicem despicit, quomodo postea in iudicio ipsius confidit?... Sin autem reus convenienter a presbytero instructus, carni consentiens, id potius eligat ut periurio patrato in ambiguum periculi atque salutis praeceps ruat, sacerdoti, qui huiusmodi iudicia ab ecclesia Christi putet exterminanda, nihil aliud restat, nisi ut omnibus more ecclesiastico celebratis, id permittat fieri, quod per confessionem culpa cognita minime potuit castigari.

c. 54. Qui autem, ut accusatio verisimilis habeatur, super reum iurat, si divino examine is postea absolvitur, ille plane periurat, et quoniam capitis arcessit dolensque non perficit praeter periurium quod patrat ipsa re, homicida est conatu et voluntate. Is aut, quoniam publice peccavit, publice poeniteat aut, si id neglexerit, ut dignum est, ecclesiasticae disciplinae succumbat.

P L CLXXXVI 903, 905.

98.

1157-1166. *Rufinus magister. Summa decretorum* (*commentarius Gratiani*).

Ad C. II 5... Videndum est, que purgatio in ecclesiasticis iudiciis exigatur, et quando et ubi et quomodo sit facienda. Purgatio igitur alia est vulgaris, ut candentis ferri, ferventis aque; alia canonica, ut solummodo iuramenti. Vulgaris autem

purgatio non est exigenda nisi a servili persona vel ab eo, qui tanquam servilis persona suspectus habeatur; ab ingenuo autem non nisi canonica. Et hoc habetur ex conc. Maguntiensi et ex conc. Triburiensi [1].

Ad C. II 5, 23. *Sepe contingit.* Ista tria subiecta capitula [2] hodie abrogata sunt.

Ad C. II 5, 26. *Si episcopo.* Hoc decretum [3] de canonica purgatione intelligendum est.

Die Summa Decretorum des Mag. Rufinus, her. von *Heinr. Singer* (1902) 250, 251.

99.

c. 1160-1170. *Stephanus Tornacensis* († 1203). *Summa* (*Commentarius Gratiani*).

Ad C. II 5, 7. *Vulgarem.* A vulgo et non a legum vel canonum peritis introductam et usitatam. Sicubi inveneris in canonibus, quod ferro vel aqua aliquis se purgare debeat vel super candentes vomeres pedibus nudis incedere, dictum est ad terrorem vel secundum lombardam [4] vel loquitur de manifestis sive scelus infitiantibus.

Ad C. II 5, 23. *Saepe.* Haec omnia improbantur hodie, quia videtur tentari deus, et etiam quia pro culpis hominum non se revelant divina miracula; vel localia vel provincialia sunt decreta ista; vel dicatur, quod non sit ad iudicium, sed quia creditur, quod nullus accedat nisi innocens. *Sit tibi ad probat.* Si haec verba ea intentione dicantur, quod sumimus corpus domini ad correctionem et poenitentiam, venias si id fecisti, non est malum; si vero intentione inpraecandi, quasi id efficiat, ut poena temporalis super te [5] veniat, si id fecisti, malum est.

---

[1] I n. 58, 62. — [2] I n. 61 (c. 15), 69. — [3] I n. 61 (c. 10).

[4] Capitularia lombardica; dixerat enim Stephanus ad C. II 3, 7: « Librum lombardae legis librum capitulorum vel capitularium appellat [Gratianus] ». *I. Fr. v. Schulte* 169.

[5] Textus emendatus secundum *H. Singer*, l. c. (n. 100) 408.

Ad C. II 5, 25. *Si duo.* Vir et mulier vel alii duo simili scelere inquinati ut idem sit in aliis criminibus, quod dicit in adulterio, et introductum est in poenam illorum, qui nescientes aliorum errores committebant eis purgationem suam. Sed hodie est improbatum.

Die Summa des Stephanus Tornacensis über das Decretum Gratiani, her. von *Ioh. Friedr. v. Schulte* (1891) 170, 172.

100.

1160-1170. *Commentarius anonymus Gratiani* [1].

Ad C. II 5. Queritur, si defitiente accusatore rei incumbat purgatio. Sciendum est, quod purgatio dupplex: vulgaris et canonica. Vulgaris est ut ferri candentis iuditium et calide et frigide aque et vomerum candentium. Iste expurgationes penitus hodie in canonibus prohibentur, quia qui talia agunt Deum temptare videntur. Sunt tamen quedam in Burcardo [2] et in libro conciliorum [3], que talem purgationem approbant; dicimus illa esse antiquata vel solummodo de purgatione servorum et infamium esse intelligenda.

Ad C. II 5, 22. Queri potest, an seculares iudices licite utantur illa vulgari purgatione, scil. monomachia. Quibusdam videtur, quoniam [forte: quia] illicitum sit, quoniam videtur per hoc Dominus temptari. Alii, ne contra multarum regionum consuetudinem aliquid dicere videantur, dicunt quod in his constitutionibus nichil aliud prohibetur, nisi ne in ecclesiastico iuditio hoc fiat.

Heinr. Singer, Beiträge zur Würdigung der Decretistenlitteratur; Archiv für kathol. Kirchenrecht 69 (1893) 406.

[1] Commentator, qui scriptis Rufini et Stephani Tornacensis usus est, in Gallia vixit et docuit atque aliqua apud posteros auctoritate gavisus est. — [2] Burchardus Wormatiensis. Cf. I n. 2, 50. 58, 61, 62.
[3] Regino Prumensis, uti Heinr. Singer opinatur.

101.

1162-1182 *Laborans cardinalis* († c. 1189). *Codex compilationis.*

II 1, 10. Purgatio igitur alia est vulgaris, ut igniti ferri, alia canonica, ut solummodo iuramenti... Vulgaris non est nisi personae vilis aut suspectae serviliter.

P L CCIV 911.

102.

c. 1179-1190. *Ioannes ep. Faventinus* (*Faenza*, † 1190). *Glossae in decretum Gratiani.*

C. XXXIII 1, 1 ad *per iustum iudicium* [1]; non utique candentis ferri, non utique ferventis aque et huiusmodi, quod prohibetur, set VII. manu propinquorum.

Cod. lat. Monac. 3873, fol. 123, cit. a. *Fr. Gillmann*, Archiv für katholisches Kirchenrecht 90 (1910) 244.

103.

c. 1180. *Petrus Blesensis iunior, canonicus cancellarius Carnotensis. Iuris canonici speculum.*

c. 16... In talibus itaque causis [ecclesiasticis] canones legibus imponunt silentium, si circa huiusmodi articulum sibi invicem leges et canones adversentur. In secularibus autem negotiis, inter seculares personas agendis, leges non cedunt canonibus. Quod tamen sine distinctione non admitto. Refert enim, lex vel consuetudo inducat aliquid in iudicio seculari, quod importet utrique vel alteri parti dampnum tantum pecuniarum, an etiam periculum animarum, ut sunt illa iudicia in quibus Deus temptari videtur, scilicet aque ferventis vel candentis ferri vel duelli. Canonum enim vigor se extendit ad causas seculares, ex quibus

[1] I n. 2.

et in quibus anime periculum versatur. Quantum enim ad hoc, ut anime provideatur, omnes persone spectant ad forum ecclesiasticum, et in talibus iudiciis, secundum meum iudicium, videtur per canones legibus et consuetudinibus derogatum. Invenio tamen quosdam canones in Brocardo [1], in quibus huiusmodi purgationum austeritas est admissa. Sed credo, illa decreta esse localia et propter duritiam eorum, quibus data sunt, i. e. barbarorum, fuisse introducta.

Petri Blesensis opusculum de distinctionibus in canonum interpretatione adhibendis seu, ut auctor voluit, speculum iuris canonici, ed. *Theoph. Aug. Reimarus* (Berolini 1837) 40.

104.

!179-1183. *Sicardus ep. Cremonensis. Summa canonum.*

Videamus, quid sit purgatio, quot genera purgationis, quae sit clericis iniungenda, quibus ex causis, quando, ubi, cum quot. Est ergo purgatio puritatis assertio. Est autem vulgaris, v. candentis ferri et ferventis aquae, monomachiae. Haec ab ecclesiastico debet esse relegata iudicio et maxime in clericis; canonica, et haec est comprobata per ecclesiam...

Quaeritur si saeculares iudices licite vulgaribus utantur purgationibus. Videtur, tum propter consuetudinem, tum propter institutam ab ecclesia benedictionem. Respondeo, laudarem si non fieret, quod Deus ibi tentari videtur, cum etiam apostolus dicat, iuramentum est finis omnis controversiae.

Karl Hildenbrand, Die purgatio canonica und vulgaris (1841) 186,187.

105.

post 1187. *Petrus Cantor, magister Parisiensis* († 1197). *Verbum abbreviatum.*

c. 78. Contra peregrina iudicia ferri candentis et aquae frigidae vel bullientis [2]. Sicut dubia ita peregrina iudicia, imo

---

[1] Citatur a Petro in margine Decretum Burchardi Wormat. XVI c. 19 et VI c. 7; cf. I n. 62, 58. — [2] Ex hoc capite, in quo toto b. Petrus strenue omnia ordalia impugnat, paucae phrases tantum excerpantur.

diabolica tentamenta, quibus Dominus tentatur, ab eodem sunt prohibita... Istis enim saepe damnatur innocens... Restat ergo ea esse tollenda de medio ecclesiae sicut et iactum sortium, praesertim cum nec auctoritate eius sint instituta vel recepta, sed furtive et cupide subintroducta... Sed et sacerdos incarminans elementum et reus subiens tale iudicium, mortaliter peccant...

Pugil commissurus monomachiam, vel confidit in virtute et robore suo magis vel in exercitio artis vel in omnimoda innocentia sua vel in miraculo Dei faciendo. Si in virtute sua vel in artis peritia, ergo inaequale est iudicium. Si in omnimoda innocentia, praesumptio est et anticipatio divini iudicii, in quo solo manifestabuntur abscondita cordis nostri [1]. Si in miraculo, diabolica tentatio est, cum dictum sit: *Non tentabis Dominum Deum tuum* [2], dum habes quid agas secundum humanam rationem.

P L CCV 226 sq., 233.

106.

1230-1234. *Raimundus de Pennaforte O. Pr.* († 1275). *Decretales Gregorii IX.*

V 35, 1. Summarium. Duella et aliae purgationes vulgares prohibitae sunt, quia per eos multoties condemnatur absolvendus et Deus tentari videtur.

107.

1234-1241 [3]. *Raimundus. Summa.*

II *De duello...* § 1. Duellum est singularis pugna inter aliquos ad probationem veritatis, ita videlicet, ut qui vicerit probasse intelligatur, et dicitur duellum quasi duorum bellum. Dicitur etiam vulgo in pluribus partibus iudicium, eo quod ibi Dei iudicium expectatur...

Non debet fieri etiam inter laicos. Licet enim David duellum iniret cum Golia, non tamen illud est pro lege sumendum,

[1] Cf. I Cor. IV 5. — [2] Math. IV 7. — [3] *A. Teetaert* censet hanc summam canonum esse scriptam 1222-1230. Ephemerides theol. Lovanienses 5 (1928) 70.

ut 2 q. 4 *monomachiam* [1]. Item quia privilegia paucorum communem legem non faciunt, ut ait Hieron. 26 q. 2 *non exemplo* [2]. Item quia est contra illud praeceptum Domini: *Non tentabis Dominum Deum tuum,* contra quod nullo modo faciendum, 22 q. 2 *quaeritur cur Patriarcha* [3]. Item expresse etiam prohibetur in lege seculari. C. de gladiator. l. II l. unica... [4].

Consuetudo tamen generalis contra ista invaluit fere ubique terrarum. Unde solet quaeri, an huiusmodi consuetudines generales excusent a peccato mortali, et dicunt quidam, quod sic, inducentes pro se verbum Ambr. 32 q. 4 *obiiciuntur Iacob quatuor uxores;* quia, quoniam mos erat, crimen non erat [5]. Alii distinguunt, utrum quis offerat an suscipiat duellum; et cum suscipit, utrum sponte an delatum a iudice. Dicunt enim eum qui offert et eum qui sponte suscipit, peccare mortaliter; eum vero qui suscipit, iudice compellente, non peccare [a], quia non sponte id facit, sed invitus, cum aliter non possit evadere periculum corporis vel rerum; quod enim quis facit ob defensionem suam vel suarum rerum, licitum iudicatur, si sit etiam sacerdos [b], ext. de homic., *interfecisti* [6]. Ego autem, salvo meliori iudicio, primam opinionem non admitto per rationes superius inductas. Quod autem inducunt de auctoritate Ambrosii, non obstat, quia Iacob fuit excusatus in illo per revelationem divinam, quae quandoque dicitur mos, quandoque fas, per quam etiam ipse idem Iacob fuit excusatus a mendacio, Israelitae a furto, Samson ab homicidio. Sic habes expositum extr. de divort., *gaudemus* [7].

Secunda tolerabilior est, sed nec illam admitto. Unde dico cum A. [8] sine exceptione, quod nulla consuetudo vel verius corruptela aliquem excusare potest, quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget, extr. de simon., *non satis* et *cum in ecclesiae* [9]. Peccant ergo omnes mortaliter, sed differenter. Gra-

---

[1] I n. 9. — [2] *Gratianus* C. XXVI 2, 4. — [3] C. XXII 2, 22.

[4] Codex Iustin. XI 44. — [5] *Gratianus* XXXII 4, 7. — [6] Gregorii decretales V 12, 2. — [7] Ib. IV 19, 8. — [8] Glossator Guilelmus adiicit: « Id est cum Alano, qui fuit iuris peritus ». Cf. de eo *Fr. v. Schulte,* Die Gesch. der Quellen u. Lit. des canon. Rechts (1875/80) I 84, 188. — [9] Gregorii decretales V 3, 8 et 9.

viter enim peccat, qui suscipit, etiam propter quantumcumque metum; attenuatur tamen peccatum eius multum propter periculum personae vel rerum, 32 q. 5 *ita ne* [1]; extr. quod metus causa, *sacris* [2]. Ille autem, qui sponte suscipit, item qui offert, item iudex qui defert vel praestat auctoritatem, item assessores et qui dant ad hoc consilium, auxilium vel favorem, item sacerdotes, qui dant benedictionem [3], isti omnes peccant longe gravius. Item si contingeret aliquem ibi mori, omnibus imputaretur homicidium et omnes fierent irregulares, 17 q. 4 *omnes* [3], et supra de homic. § *species* et § *poena* et § *dispensatur*. Si ergo alicui clerico offeratur duellum, nullo modo suscipiat per se vel per alium, quem ponat loco sui, quia de iure deponi deberet, extr. de clericis pugn. in duel. c. 1 et 2 [4], sed defendat eum episcopus vel ecclesia efficaciter, quia de sua iurisdictione est; nec laicus potest aliquid statuere vel iudicare de ipso, extr. de iudic., *at si clerici;* de foro comp. c. 1 et 2 [5], et II q. 1 c. 1, 2 [6], et fere per totam quaestionem.

III *De inquisit. et purgat...* § 1. Purgationis species sunt duae, canonica scilicet et vulgaris. Canonica, quae fit per iuramentum et per testes, et ista permittitur et approbatur tamquam bona, utilis et honesta in ecclesia Dei, 2 q. 5 fere per totum [7]. Vulgaris purgatio est quae a vulgo est inventa, ut ferri candentis, aquae ferventis vel frigidae, panis vel casei, monomachiae, id est duelli et caeterae huiusmodi; sed ista hodie in totum reprobata est et maledicta, tum quia inventa est diabolo fabricante, 2 q. 5 *Mennam* [8], tum quia generaliter a s. canonibus prohibetur, ut praealleg. c. *Mennam* et *Consuluisti* [9] et *Monomachiam* [10]. Item quia est contra illud praeceptum Domini: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, ut in illo c. *Monomachiam* in fine et 22 q. 2 *quaeritur* [d] *cur Patriarcha*.

Summa s. Raymundi de Pennafort. cum glossis Ioannis de Friburgo (Romae 1603) 162, 364.

[1] Gratianus C. XXXII 5, 3. — [2] Gregorii Decretales I 40, 5.
[3] Gratianus C. XVII 4, 5. — [4] Gregorii Decretales IV 14, 1 et 2.
[5] Ib. II 1, 4; II 2, 1 et 2. — [6] Gratianus C. II 1, 1 et 2.
[7] Ib. II 5 — [8] Ib. II 5, 7 § 1 (I n. 15). — [9] I n. 14. — [10] I n. 9.

108.

c. 1250. *Guilelmus Rhedonensis O. Pr. Apparatus ad summam Raimundi* [1].

[a] *Non peccare.* Haec opinio videtur esse rationabilis, maxime ubi innocens accusatur de crimine ad mortem, quando, si duellum oblatum recusaverit, statim suspendetur. Durum enim videtur dicere, quod talis teneatur potius sustinere se suspendi quam se defendere in duello. Et forte distinguendum est inter suscipientem duellum oblatum in causa criminali et suscipientem in causa civili de rebus temporalibus, ut dicatur, quod in primo casu licitum sit suspicere duellum, non offerre; in secundo casu nec offerre nec suscipere licet, cum in temporalibus debeat potius quis quodlibet damnum pati quam sic duellum suscipere. Sed cum res suas liceat laico armis defendere et eas defendendo raptorem occidere, si aliter defendere non possit, quare non potest eas defendere in duello, non quod ipse offert, sed quod ei a iudice offertur vel potius infertur? Propter hoc credo, quod haec opinio potius tenenda est, cum ratione non careat et sit benignior, ne videamur damnare omnes illos, qui se defendunt in duellis vel res suas.

[b] *Si sit etiam sacerdos.* De sacerdote non credo, quod liceat ei duellum suscipere vel offerre nec in causa criminali nec etiam in causa civili, nec consulere quod offeratur vel etiam suscipiatur.

[c] *Dant benedictionem.* Loquitur secundum aliquorum locorum consuetudinem, ubi sacerdotes faciunt aliquas benedictiones et imprecationes circa pugiles, sicut solent fieri adiurationes supra ferrum candens vel aquam frigidam. Quid de clericis, qui offerunt reliquias [2] pugilibus ad iurandum [3], numquid fiunt irre-

---

[1] Guilelmus commentatus est summam uberibus glossis, in multis editionibus, e. gr. in supra allata, Iohanni de Friburgo O. Pr. falso addictis. Quae sicut et ipse textus Raimundi a plurimis summistis et canonistis citabantur vel describebantur. — [2] Cf. supra n. 2.

[3] Posteriore tempore aliquando duellantibus etiam eucharistiam oblatam fuisse, monstrat legum, quas c. 1368 episcopus Lausanensis dederat, commentarius anonymus (14 saec.), qui caeremonias ita de-

gulares, si sequatur homicidium in illo duello? Resp. Videtur hic magister innuere, quod sic; quia videntur coadiuvare ad hoc quod duellum fiat,

[d] *Quaeritur.* Ibi dicitur: *nemo debet tentare Deum suum, quamdiu habet, quod rationabili consilio faciat.* Quid ergo de episcopo et abbatibus et militibus, qui huiusmodi iudicia faciunt aut permittunt fieri in curiis suis? R. Non audeo tamen excusare a peccato mortali, cum talia secundum vetera iura et nova sint prohibita, ut praeallegatum est et patet extr. *ne clerici* vel *monomach.* in fine. Maxime autem episcopi et abbates et illi, quibus huiusmodi ignorare non licet, in hoc graviter peccant, quia potius deberent omnia mala tolerare, quam tali modo consentire. Credo etiam, quod in publicis praedicationibus possunt et debent haec reprehendi, in illis maxime locis, ubi sunt aliqui qui in hac parte ius ignorant.

[d] Ibidem.

109.

ante 1245. *Alexander de Hales O. Min.* († 1245). *Summa universae theologiae.*

IV q. 48 membr. 4. Consequenter quaeritur utrum pugiles debeant accedere ad s. communionem... Lex nova monomachiam non recipit, ut II q. 4 *Monomachiam...* [1]. Dicendum ergo, quod pugiles exultantes in proposito cum voluntate pugnandi non debent accedere ad s. communionem, cum mortaliter peccent. Mortaliter peccat, qui monomachiam praecepit et qui eam facit

---

scribit: « Appellans vero primo debet intrare platheam... In qua quidem plathea sacerdos habitu sacerdotis indutus tenens sacrum corpus Christi interesse debet, super quo appellans et appellatus debent iurare in modum sequentem et formam, videlicet quod dicti pugiles debent se tenere et tangere manus suas sinistras utriusque modi suasque manus debent habere supra corpus Christi, dicendo sic: « Ego talis appellans iuro per sacrum corpus Christi, quod habui iustam et rationalem causam appellandi de duello talem (nominetur) quem teneo manum... ». L. c. (n. 79) 446.

[1] Gratianus C. II 5, 22 (I n. 9).

nec excusatur consuetudine, licet ecclesia toleret, sicut et meretrices et usurarios tolerat. Nec ipsi excusantur per consuetudinem; similiter et illi, qui arma benedicunt. Ad illud quod obicitur de David, dicendum quod privilegia paucorum communem legem non faciunt, ut dicit Hiero.; pie praesumitur David hoc fecisse instinctu divino. Simpliciter igitur dicendum, quod quacumque ex causa, sive timoris sive amoris sive pietatis sive alterius cuiuscumque committatur duellum, mortaliter peccat ille, qui committit nec propter ullam penam est consentiendum... Huius opinionis fuerunt plerique, ut in eorum scriptis patet et hoc, quia nulla causa debet aliquis committere causam suam sorti monomachiae; ex quo fieri non potest sine Dei temptatione, eo quod divina iustitia sive misericordia in humano ponitur arbitrio. Iudith VIII [1]. Sed durum videtur diffinire, quod quando innocens accusatur de crimine ad mortem, qui si duellum recusaverit, statim suspendetur, quod tenetur potius se sustinere suspendi quam se defendere in duello. Propter hoc dicunt quidam, quod duellum oblatum in causa criminali licet suscipere, si alio modo vite dispendium non possit vitari. Similiter dicunt in causa civili de rebus temporalibus ponentes, quod sicut layco licet suas res defendere armis et raptorem occidere, si aliter defendere non possit, similiter licet in duello, Non quod ipse offerat, sed quod a iudice offertur vel potius infertur. Prima opinio securior est et illi consentio, quod nullo casu licet duellum offerre neque illatum vel oblatum suscipere, cum monomachia sit in lege civili prohibita et eius prohibitio in canone approbata. Sed sustinebit ne innocens in causa criminali se suspendi in confusionem propriam et generis sui et patrie scandalum? Credo quod sic in casu isto cum confessione innocencie sue et reputatione humili se ista alias meruisse. Omnino ergo videtur mihi, quod existens in voluntate vel proposito aliqua causa committendi duellum, eo quod prohibitum est et eo quod committere causam suam sorti duelli est Deum temptare, intendit facere, quod illicitum est. Non debet accedere ad s. communionem.

Nurenb. 1481/82.

---

[1] Fortasse Iudith VIII 24.

110.

1265-1273. *Thomas de Aquino. Summa theologica.*

II 2 q. 95 a. 8... Praeterea, pugna pugilum quae monomachia dicitur, id est singularis concertatio, et iudicia ignis et aquae, quae dicuntur vulgaria, videntur ad sortes pertinere, cum per huiusmodi aliqua exquirantur occulta. Sed huiusmodi non videntur esse illicita; quia et David legitur cum Philisthaeo singulare iniisse certamen, ut legitur I Reg. XVII. Ergo videtur quod divinatio sortium non est illicita...

Ad tertium dicendum quod iudicium ferri candentis vel aquae ferventis ordinatur quidem ad alicuius peccati occulti inquisitionem per aliquid quod ab homine fit, et in hoc convenit cum sortibus; inquantum tantum expectatur aliquis miraculosus effectus a Deo, excedit communem sortium rationem. Unde huiusmodi iudicium illicitum redditur; tum quia ordinatur ad iudicandum occulta, quae divino iudicio reservantur; tum etiam quia huiusmodi iudicium non est auctoritate divina sancitum. Unde II qu. V, in decreto Stephani Papae, dicitur: *Ferri candentis — filiorum hominum* [1]. Et eadem ratio videtur esse de lege duellorum, nisi quod plus accedit ad communem rationem sortium, inquantum non expectatur ibi miraculosus effectus; nisi forte quando pugiles sunt valde impares virtute vel arte.

III q. 80 a. 6. Utrum sacerdos debeat denegare corpus Christi peccatori petenti... Praeterea, corpus Christi interdum datur suspectis de crimine ad eorum manifestationem; legitur in Decretis II qu. IV: *Saepe contingit — ad probationem.* Et infra: *Si episcopo — se ostendere...* [2].

Ad tertium dicendum, quod decreta illa sunt abrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum [3]. Dicit enim Stephanus Papa: *Ferri candentis — filiorum hominum.* Et idem

---

[1] I n. 14. — [2] I n. 61. — [3] Cardinalis Caietanus in suo Commentario hoc adiicit: « Nota quod decreta illa, quae corpus Christi quasi ad examinationem ordinarunt, non fuerunt per concilia universalia facta, sed fuit concilium particulare... Et propterea non est mirum si erravit ».

habetur Extra de Purgationibus, cap. *Ex tuarum* [1]. In omnibus enim talibus videtur Dei esse tentatio; unde sine peccato fieri non possunt. Et gravius videretur si in hoc sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis. Unde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine quasi ad examinationem.

111.

? *Bonaventura* (?). *Speculum conscientiae* [2].

I n. 33. De duello autem nota, quod secundum iura est prohibitum et secundum rationem habet rationem mortalis et in appellatione et in domino, cuius auctoritate fit, et procuratoribus et in pugilibus propter pecuniam. Et hoc patet, cum manifeste habeat rationem tentationis divinae, et a forti debilis per naturam vincatur. Dicunt tamen quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto, cuius contrarium tenent communiter theologi et iuris periti.

Opera omnia (Ad Claras Aquas 1882/1902) VIII 630.

112.

? *Albertus Magnus* (?). *De mirabilibus mundi* [3].

Experimentum mirabile quod facit homines ire in ignem sine laesione vel portare ignem vel ferrum ignitum sine laesione in manu. Recipe succum bismaluae et albumen ovi et semen psilii et calcem et pulveriza et confice cum illo albumine ovi succum raphani, commisce; ex hac confectione illinas corpus tuum vel manum et dimitte siccari et postea iterum illinas et post hoc poteris audaciter sustinere ignem sine nocumento. Si

---

[1] I n. 14 et 27. — [2] Hunc tractatum, qui quaestiones morales more casuistico tractat, non esse a s. Bonaventura scriptum probabile est, sed a quo et quando confectus sit nescitur. — [3] Hoc opusculum non esse a s. Alberto conscriptum, contendit *Aug. Borgnet,* editor eius operum. I, LXI et LXIV.

autem velis, ut videatur ardere illud linitum, asperge de sulphure vivo bene pulverizato et videbitur comburi cum accendetur sulphur et nihil ei nocebit. Si in flammam candelae quam quis tenet in manu, colophonium vel picem graecam insufflaveris subtilissime tritam, mirabiliter auget ignem et usque ad domum porrigis flammam. Ut ignem illaesus portare possis, cum aqua fabarum calida calx dissolvatur et modicum tere rebea de mislina, postea parum maluauisci adiicias, quibus insimul coniunctis vel commixtis palmam illinas et desiccari permittas et sic ignem quo libet illaesus portare poteris. Et est verum et experimentum.

Alberti cognomenti Magni De secretis mulierum libellus. Item de mirabilibus mundi (Lugduni 1566) sine pag.

113.

c. 1250-1294. *Petrus de Murrhone* (?). *Opuscula* [1].

IX 7 c. 8. De duello. Duellum est singularis pugna inter duos ad probationem veritatis. Non debet fieri neque inter laicos, quia hoc est tentare Deum. Quidam dicunt quod, qui se offert, peccat; qui vero coactus, non peccat, sed contrarium tene probabilius.

Maxima bibliotheca veterum patrum et antiquorum scriptorum eccles. (Lugduni 1677) XXV 851.

114.

c. 1270-c. 1280. *Henricus Goedhals a Gandavo* († 1293). *Quodlibeta.*

V q. 32. Circa secundum arguitur, quod non liceat pugnare in duello, quia in hoc tentatur deus, quod prohibetur Deut. VI. Contra. Duello principes et praelati prestant auctoritatem, quod non facerent, nisi liceret... Nobis ergo investi-

[1] An s. Petrus (Coelestinus V) haec opuscula composuerit, incertum est.

gandum est principaliter, quod in quaestione propositum erat, utrum in duello pugnare liceat in se. Si enim inveniri posset, quod liceret simpliciter ex genere et natura facti, tunc quibus et quando et pro quibus rebus est pugnandum, ex humanis statutis et consuetudinibus investigandum est. Si vero inveniatur, quod ex se non licet, tunc omnis distinctio, quae circa hoc poni solet, exufflata est; quia tunc nulli omnino et nunquam et pro nullis rebus duellum pugnare licet. Est igitur sciendum, quod duellum est singularis pugna inter aliquas personas ad probationem veritatis alicuius rei occultae per victoriam alicuius tanquam per signum divini iudicii, quae aliter humano iudicio clarere non potuit. Est autem solum super occulto, quia pro eo quod aliis modis apud humanum iudicium posset clarescere, nullo modo iudex ex duello divinum iudicium expectare deberet, et hoc iudicando vincentem intentum suum probasse contra victum et verum fuisse quod proposuit, sicut verum est quod victoriam obtinuit. Unde apud quosdam duellum appellatur iudicium, eo quod in ipso dei iudicium expectatur. Iudicium autem dei expectare in aliquo signo sensibili, contingit dupliciter, aut ex divina revelatione, qualitercumque illa fiat, qua scitur quod deus sic velit iudicium suum aperire, aut ex sola humana coniectura, qua presumitur quod deus sic iudicium debeat aperire. Primo modo licitum est expectare in signo sensibili divinum iudicium, quale expectavit Moyses cum populo Israel in virga Aaron germinante, de quo dicitur Nu. XVII .. Et hoc modo licitum est duellum, quale comisit David cum Golia. Etenim ipsi David inspiratum erat divinitus, ut tale bellum iniret et quod iudicium voluntatis suae per illud aperiret... Si vero dei iudicium expectatur in aliquo signo sensibili ex sola humana coniectura, sciendum quod in duello est duo considerare, scilicet ex substantia rei factae et ex intentione facientis. Substantia rei factae in duello est occidere proximum, quod de se indifferens est, quia potest bene et male fieri... Propter quod contra legem iuris naturae non est nisi ex circumstantia, qua adiecta non potest bene fieri. Intentio autem hominis circa actum duelli duplex est. Una specialis ex parte bellantium, alia vero communis ex parte ipsorum et aliorum, scilicet iudicium auctoritate potestatum, consulum et ceterorum hominum. Intentio autem

bellantium est mutuo sese occidere vel in causa criminali pro propria vita conservanda vel in causa civili pro aliquo bono temporali obtinendo, quorum utrumque illicitum est, ut patet ex precedenti quaestione. Intentio vero communis et bellantium et aliorum est ex eventu belli divinum iudicium expectare. Hoc modo duellum summe illicitum est et prohibitum in lege divina. Deut. VI et Math. VIII. *Non tentabis dominum deum tuum*... Et est crimen simile sortilegio... Igitur nulla lex iusta fieri duellum permittit aut permittere potest nec cuiuscunque auctoritate aut quacunque consuetudine contraria diutissime observata licite potest pugnari per duellum.

Parisiis 1518.

115.

c. 1311. *Dante Alighieri. Monarchia.*

II c. 10. Et quod per duellum acquiritur, de iure acquiritur. Nam ubicunque humanum iudicium deficit vel ignorantiae tenebris involutum vel propter praesidium iudicis non habere, ne iustitia derelicta remaneat, recurrendum est ad illum, qui tantum eam dilexit, ut quod ipsa exigebat, de proprio sanguine moriendo supplevit... Hoc autem fit, cum de libero assensu partium, non odio, sed amore iustitiae per virium tam animi quam corporis mutuam collisionem divinum iudicium postulatur... Sed semper cavendum est, ut quemadmodum in rebus bellicis prius omnia tentanda sunt per disceptationem quamdam, et ultimum per praelium diiudicandum est... Duo igitur formalia duelli apparent: unum, hoc quod nunc dictum est; aliud, quod superius tangebatur, scilicet ut non odio, non amore, sed solo iustitiae zelo, de communi assensu, agonistae seu duelliones palaestram ingrediantur... Quod si formalia duelli servata sunt (aliter enim duellum non esset) iustitiae necessitate de communi assensu congregati propter zelum iustitiae, nonne in nomine Dei congregati sunt? Et si sic, nonne Deus in medio illorum est?, cum ipse in Evangelio nobis hoc promittat. Et si Deus adest, nonne nefas est habendo iustitiam succumbere posse?... Quod si contra veritatem ostensam de imparitate virium instetur, ut assolet, per victoriam David de Golia obtentam instantia refel-

latur. Et si Gentiles aliud peterent, refellant ipsam per victoriam Herculis in Antheum. Stultum enim est valde, vires, quas Deus confortat, inferiores in pugile suspicari. Iam satis manifestum est, quod per duellum acquiritur, de iure acquiri.

Pietro Fraticelli, La Vita nuova di Dante Alighieri... (1861²) 346.

116.

1322-1340. *Nicolaus de Lyra O. Min., magister Parisiensis* († 1340). *Postilla.*

I Reg. c. 17. Hic quaeritur, utrum duellum sit licitum... Responsio. Duellum potest accipi dupliciter. Uno modo proprie, et sic duellum est singularis pugna duorum, ut per victoriam unius appareat eiusdem iustitia tanquam per divinum iudicium et alterius iniustitia, et sic secundum omnes doctores duellum est illicitum, tam ex parte appellantis quam etiam recipientis et etiam iudicantis et consulentium et favorem prestantium; quia ibi est manifesta tentatio divina; et hoc modo videntur loqui de duello iura ipsum prohibentia.. Alio modo potest accipi duellum large, et est bellum singulare unius cum uno absque expectatione divini iudicii, sed ut pro virtute, arte vel fortuna vel omnibus istis vel aliquibus eorum concurrentibus aliqua controversia inter eos criminalis vel civilis terminetur. Et sic adhuc dicunt aliqui, quod duellum est omnino illicitum, non solum a parte appellantis et iudicantis, sed etiam recipientis; ita quod magis debet sustinere rerum suarum spoliationem et sue persone suspensionem et mortem quam duellum recipere, etiam dato quod se sentiat innocentem. Cuius ratio est, quia intentio sic intrantis duellum est interficere adversarium suum, quod nulli persone private licitum est, quia est contra preceptum divinum... Sed ista sententia videtur aliis nimis dura; propter quod dicunt, quod si appellatus de duello non possit declinare, utpote quia denegantur sibi probationes aliae, et si appellet, non defertur appellationi sue, potest licite se defendere duellando, et non solum in causa criminali pro vita sua defendenda, sed etiam in causa civili. Quia sicut licitum est alicui bellare ad sui corporis defensionem, ita etiam ad rerum suarum conservationem. Nec valet, ut videtur, quod alii arguunt, quod in-

tendere alium occidere est contra dictamen nature. Dicendum quod hoc verum est, si per se intendatur; sed in hoc casu non intendit nisi per accidens, si non possit aliter vitam suam vel res suas servare, ad quorum conservationem per se dirigitur intentio sua. Quod patet ex hoc, quod declinat duellum quantum potest; et ad conservationem vite proprie et rerum suarum magis inclinat natura; propter quod argumentum, quantum ad hoc, videtur magis ad oppositum. Quod autem additur, hoc esse contra preceptum divinum, dicendum quod preceptum divinum quod est: *Non occides,* intelligitur de occisione innocentis. Appellans autem in hoc casu non est innocens nec per consequens iste se defendens de mandato et voluntate iudicis non videtur peccare, maxime pro sue vite tuitione... Dicunt tamen isti, quod licet appellatus in duello in hoc excusetur a peccato, appellans tamen et iudex auctoritatem vel licentiam prestans semper peccant mortaliter. Sed quia multi principes sancte vite et qui bonorum consilio utebantur, aliquando duella sustinuerunt seu concesserunt, ut b. Ludovicus rex Francie, Carolus magnus et plures alii et archiepiscopi et episcopi iustitiam temporalem habentes, videtur durum duella condemnare in omni casu ex parte iudicum. Ideo absque assertione aliqua et per modum collationis potest dici, quod in aliquo casu a iudicibus possunt permitti, utpote quando aliqui nobiles habent inter se guerram, quam possunt movere ex longa consuetudine, quamvis superiorem habent, ut patet in pluribus terris et regnis, et hoc unus vastat terram alterius ferro et igne, in quo subditi qui sunt innocentes in rebus et corporibus multipliciter affliguntur; et aliquando contingit, quod unus coram superiori principi provocat alium ad duellum et alius statim recipit absque ulla recusatione. Si iudex in tali casu probabiliter videat, quod predicta vastatio subditorum innocentium per duellum istud debeat terminari, non videtur peccare tale duellum permittendo. Quia ei qui habet curam alicuius communitatis, licitum est minora mala permittere ad evitandum maiora. Sicut licite permittuntur meretrices in civitatibus, ne omnia turbentur libidinibus, ut etiam dicit Augustinus [1]. Sic autem videtur esse in proposito, ut patet

[1] De ordine II c. 4 n. 12; P L XXXII 1000.

ex predictis... Et eadem ratione videtur esse de ignobilibus guerram ad invicem movere non potentibus in aliquo casu, ut sic per hoc quod nullus posset alium provocare ad duella, multiplicarentur homicidia occulta in terra, eo quod homicide tales non timerent ad duellum ab aliquo provocari. In tali casu non videtur illicitum principi aliqua duella permittere, ut predicta homicidia cessent, quae sunt maiora mala.

Huic autem dicto videtur concordare dictum Thomae de aquino in sua summa [1] ubi dicit, quod, quoniam in duello non expectatur aliquis eventus miraculosus, sicut est in proposito..., tunc tale duellum appropinquat ad communem rationem sortium. Sortibus autem licitum est uti in pluribus casibus, uti ibidem dicit.

Biblia sacra cum glossa ordinaria et Nicolae Lyrani expositionibus (Lugduni 1545) II 82.

117.

15. saec. med. *Dionysius de Ryckel O. Carth.* († 1471). *Summa fidei orthodoxae.*

III a. 160. Sciendum quoque, quod iudicium ferri candentis seu aquae ferventis propter alicuius occulti percipiendam notitiam existit illicitum. Primo quia ordinatur ad manifestandum secreta, quae divino iudicio reservantur. Secundo quia non est divina authoritate sancitum, propter quod secunda quaestione quinta in decreto Stephani Papae [2] tale iudicium prohibetur ac superstitiosum vocatur. Nam incognita illi soli servanda sunt, qui solus novit corda filiorum hominum; et est partim simile duello, praesertim si pugiles sint virtute seu arte multum difformes, alias minus illicitum esset, eo quod *non expectetur ibi miraculosus effectus*, sed pertinet *magis ad communem rationem sortium* [3].

---

[1] Supra n. 110. — [2] *Gratianus* II 5, 20; cf. I n. 14.
[3] *Thomas* II 2 q. 5 a. 8; supra n. 110.

118.

15. saec. ex. *Angelus Carletus de Clavasio O. Min.* († c 1494). *Summa de casibus* (*Summa Angelica*).

Duellum est pugna duorum... et fit ad probationem alicuius rei, ita ut qui vicerit probasse videatur. Quod est prohibitum sub pena mortalis peccati... et non solum offerens, sed acceptans cum dantibus auxilium, consilium vel favorem et valentibus prohibere et non prohibentibus peccant mortaliter. Ad Rom. c. 1 *digni sunt morte, qui consentiunt*. Et non excusantur ex consuetudine vel metu acceptantes...

Sed numquid ille, qui cogitur a iudice tali modo quod suspendetur, quia habet eum pro convicto nisi duellum suscipiat, possit suscipere cum sit innocens. R. Diversa fuit opinio..., sed mihi placet, quod talis coactus tali coactione licite suscipiat; et eciam in causa civili, quando non imminet probabile periculum mortis, quia scilicet se defendere et res suas et alia facere, quae de se non sunt mala, sic pugnare, quando alio modo non potest evadere; facit c. *interfecisti* de homi [1].

Utrum clerici, qui reliquias afferunt pugilibus ad pugnandum, sint irregulares, si sequatur homicidium. R. quod, si omnino sine ipsis erant pugnaturi, non erunt irregulares, alias sic; et sic intellige opiniones diversas et concorda secundum hanc distinctionem.

Quod dictum est de duello, idem dic de iudicio aquae ferventis vel ferri candentis, c. fi. de pur. vulg. [2].

Venetiis (1495) sub *duellum*.

119.

c. 1500. *Silvester Mozolinus de Prierio O. Pr. Summa*.

Primo queritur, utrum duellum sit licitum vel prohibitum, et dico illud esse prohibitum sub peccato mortali iure divino

[1] Gregorii decretales V 12, 2. — [2] Ib. V 35, 3.

et similiter iure canonico... Sed quia ista iura non videntur prohibuisse nisi quod naturali iure illicitum erat, ideo ad ampliorem doctrinam dico, quod duellum i. e. singularis pugna hinc inde sponte suscepta de se non nominat aliquid illicitum saltem mortale; alioquin esset mortale in innocenti se exercere in pugnis et brachiis ad exercitium aut solatium sine odio et periculo. Unde si sit mortale, erit ex altero duorum: primo ex fine, puta ex inani gloria, que sit mortale vel ad odium aut ad indagandam veritatem, quod est temptare deum, aut secundo ex circumstantia, puta quando ex causa non rationabili pugnatur cum periculo vite aut membrorum. Quibus modis est prohibitum sub mortali a iure naturali et positivo, quod aliquas superaddit penas...

Secundo queritur, utrum, quando duellum factum cum periculo mortis aut mutilationis est licitum ex fine, puta quando acceptatur ad conservationem sue persone vel facultatis, possit esse licitum ex circumstantia alia, ut sc. non sit mortale sponte se exhibere periculo mortis aut mutilationis, et dico quod secundum ray. [1] sunt de hoc opiniones, et quidam distinguunt. Nam tribus modis quis duellat: primo offerendo duellum, secundo illud sponte acceptando, tertio acceptando illud invite ad defensionem vite aut rerum, sicut si iudex accusato de homicidio vel furto indicat, ut se per duellum purget, alioquin habebitur pro convicto et condemnabitur. Et in primo quidem ac secundo casu dicunt illud esse mortale, non autem in tertio, sed est licitum indistincte pro defensione, non solum vite, sed etiam rerum; et hoc tenet Guil. glosator ray. [2] ex hac ratione: quia, si licet defendendo res occidere raptorem, quare, inquit, non licebit eas defendere duello? Et hanc opinionem sequitur summa angel. [3], tamen credit hoc illicitum sacerdoti in causa criminali et etiam civili. Quidam vero alii minus male etiam in tertio casu subdistinguunt: quod si suscipitur invite iudice indicente pro defensione vite est licitum, et hoc videtur tenere nico. de lir. I reg. XVI [4], ubi agitur de duello david cum golia; sed pro defensione rerum dicunt illicitum.

---

[1] Supra n. 107. — [2] n. 108. — [3] n. 118. — [4] n. 116.

Sed dico primo, illicitum et mortale esse duobus primis modis, ut ab omnibus confessum est, et secundo non esse licitum tertio modo indistincte, ut dixit guil. nec cum distinctione aliorum; quia si esset licitum ratione defensionis, cum ista sit de iure naturali, in quo sacerdos a laico non distinguitur, esset etiam licita sacerdoti, quod ille negat. Sed quia posset dici, quod est illicita ista defensio sacerdoti non ratione peccati, sed ratione irregularitatis, quam incurrere potest sine peccato, arguo iterum, quia sic duellare iudice indicente, i. e. duellare ad indaginem veritatis purgando crimen, hoc est deum temptare, quod nunquam licet, et ideo non est simile de se defendente, qui deum non temptat. Et hoc sentit s. tho. 2. 2. q. 95 a. 8 in fi. dicens quod *eadem ratio videtur esse de lege duellorum,* quae et de iudicio ferri candentis et aque bullientis, *nisi quod duellum plus accedit ad rationem sortium, inquantum ibi non expectatur miraculosus effectus* sicut in illis, *nisi forte quando pugiles sunt valde impares virtute vel arte* [1]. Iudicium autem ferri candentis et aque bullientis dicit idem s. Tho. esse illicitum, *tum quia ordinatur ad iudicandum occulta, quae divino iudicio reservantur, tum quia hoc iudicium non est divina auctoritate sancitum* et allegat c. *Consuluisti* II q. 5. Adde tertio, quia est quaedam temptatio dei... Tutior est ergo et verior opinio ray., quod omnes indistincte peccent mortaliter;... scilicet quod est prohibitum sine distinctione, quoniam est cum periculo vitae aut membrorum. Nec est par ratio pugnare pro rebus aut vita in duello et extra; quia extra duellum statur in terminis defensionis, non autem in duello; sed uterque duellantium est aggressor per se loquendo. Non obiicitur quod aliquis ad duellum cogatur, quia non est coactio absoluta, sed conditionata que stat cum voluntario...

Septimo queritur quid de iudicio ferri candentis et aque bullientis; et dico omnia huiusmodi eodem modo esse prohibita, quia in his deus temptari videtur, ut dicitur extra de pur. vulg. [2].

Octavo queritur, utrum in duello facto ad veritatem indagandam semper deus veritatem ostendat, iuvando eum qui est

[1] ɳ. 110. — [2] Gregorii decretales V 35, 3 (I n. 38).

pro veritate, sicut credunt milites et huiusmodi; et dico, quod non ut expresse casus est de pur. vulg. c. II, ubi innocentes victi narrantur in duello [1]. Et idem eadem ratione est de iudicio ferri candentis et aque bullientis.

Silvester de Prierio, Summa summarum quae Silvestrina dicitur (Venetiis 1587) sub *duellum.*

120.

1507-1522. *Thomas Vio de Gaëta O. Pr.* (*Cardinalis Caietanus,* † 1534). *Commentarium in summam s. Thomae.*

II 2 q. 95 a. 8... Quarta causa [duellorum] est terminatio litis criminalis aut civilis; quando scilicet non potest aliter terminari lis nisi duello acceptato; alioquin aut non acceptans duellum iustitiam non potest consequi aut liti succumbit cum suo et multorum quandoque damno magno... Aliena est ergo natura duelli a natura iusti belli tam defensivi quam vindicativi. Et propterea nulla ex parte invenitur duellum esse proportionatum medium ad terminationem litis tam civilis quam criminalis. Et quia *non sunt facienda mala ut veniant bona* [2], patiatur potius qui non potest iura sua aliter tueri.

In uno tamen casu licitum mihi videtur acceptare duellum: quando scilicet accusator evidenter calumniatur et praevalet contra me innocentem ad mortem vel mutilationem. Tunc enim, ex quo accusator impetit me iudicis gladio iniustissime, et sine dubio occidet vel mutilabit me, ego, non habens aliud refugium, habeo iustum bellum defensivum contra eum. Et propterea si ipse offert mihi duellum, ego possum acceptare, de consensu principis, et tueri me meliori modo quo possum. Hoc enim, licet secundum apparentiam sit duellum, secundum veritatem non est nisi defensio contra invadentem se personaliter ad mortem vel mutilationem. Differt enim secundum rem nihil occidere me gladio proprio et alieno; unde et Nathan dixit ad David: *Uriam interfecisti gladio filiorum Amnon* [3]. Secus autem est in aliis causis; quoniam defensio armata non est mihi licita

---

[1] Ib. c. 2 (I n. 37). — [2] Rom. III 8. — [3] II Reg. XII 9.

nisi contra invadentem me armis: in aliis autem causis sola sententia iniusta fit invasio. Nec opus est violentia in executione ex parte iudicis; quoniam reo non resistente, absque armis omnia fiunt...

Et ex his patet, quid de principibus concedentibus duella dicendum sit quod peccant concedendo. Non peccant autem permittendo ex urgenti causa; sicut nec peccant permittendo usuras et meretrices.

121.

1527-1529. *Thomas Vio. Peccatorum Summula.*

Duellum (hoc est singulare bellum ex condicto) indicere, peccatum mortale est, quia eligitur percussio proximi et expositio propriae et alienae vitae periculo mortis absque sufficiente talis belli causa. Suscipere autem seu acceptare duellum vel pro manifestatione veritatis, peccatum mortale est, quia contra rationem rectam eligitur percussio proximi, periculum vitae et divini fit usurpatio iudicii cum tentatione Dei et inducitur in testimonium, quod non est testimonium et diabolica adinventio impletur... Vel ad terminandam litem civilem vel criminalem, peccatum quoque mortale est, quia non est proportionatum medium ad terminandam litem armata pugna percussiva. Licitum tamen est suscipere duellum autoritate principis, quando accusator materiali gladio iudicis iniuste me petit, mutilando vel occidendo, quoniam invasus gladio possum me gladio tueri...

Summula comp. resoluta sec. concil. Trident... castigatissima (Lugduni 1596) sub *duellum*.

122.

1590-1600. *Ludovicus Molina* († 1600). *De iustitia et iure.*

Tract. III disp. 17 n. 3. Concilium Tridentinum, sess. 25 c. 19 de reformatione, excommunicat ipso facto imperatores, reges et quoscumque alios dominos temporales, qui locum in terris suis inter christianos ad duellum concesserint... Qui vero

talem pugnam commiserint et eorum patrini, eo ipso incurrunt excommunicationis sententiam...

n. 6. In eventibus tamen, in quibus ex natura rei licitum est duellum, non incurruntur poenae in concilio Tridentino statutae neque aliae aliquae, quoniam in concilio Tridentino et in aliis iuribus solum prohibetur duellum illicitum...

n. 7. Secundus eventus est, quando aliquis iniuste esset damnatus ad mortem aut ad mutilationem vel aliam gravem poenam accusatorque id offerret duellum, quod ea lis terminaretur. Tunc enim, si potestas publica id duellum, quo lis terminaretur, concederet, quamvis ea potestas publica peccaret id duellum concedendo et tam ipsa quam accusator poenas concilio Tridentino statutas incurreret, is tamen, qui iuste (!) esset accusatus, licite posset illud acceptare; quoniam in defensionem propriae vitae aut membri evadendum grave aliud malum, quod ex iniusto aggressore imminet, licitum est interficere talem iniustum aggressorem, qui desistere non vult ab eo damno iniuste inferendo.

Moguntiae 1602.

123.

16. saec. ex. *Martinus Azpilcueta Canon. s. Aug.* (*dictus Navarrus,* † 1586). *Enchiridion seu manuale confessariorum et poenitentium.*

c. 11 n. 38. Peccat mortaliter, qui alium provocat ad duellum vel provocatus acceptat, quod inter sortium species potest numerari secundum Thom. II 2 q. 95..., duobus duntaxat casibus exceptis. Primus est quando Rex quispiam iniuste impugnatus videt se viribus inferiorem alio ad descendendum in praelium. Secundus est, quando aliquis falso accusatus se interimendum praevidet vel iniuste sibi membrum aliquod amputandum, nisi duellum acceptaverit, secundum Caieta. ibidem, quamvis Lyranus I Reg. 17 laxius de hoc loquatur [1] quod

[1] **Supra n. 120, 116.**

idem est dicendum de eo, qui vult, consulit, delectatur copiamve ad id peragendum aliis concedit... Et quamvis ex urgente aliqua causa rex ipse tolerare possit, nullatenus tamen id concedere valet, secundum eundem Caietan. ubi supra. Nunc autem ss. concilium Tridentinum sess. 25 c. 19 excommunicat eos, qui in terris suis permittunt duellum...

Peccat mortaliter, qui sumit vel cogit aut vult sumere vel cogere ad sumendum ferventem aquam, ferrum candens vel prunas ignitas vel in fornacem ardentem ingredi vel quid aliud simile tentat, ut a suspicione criminis, quod sibi imponitur, seipsum expurget.

Venetiis 1584.

124.

16. saec. ex. *Mart. Ant. Delrio S.I.* († 1608). ***Disquisitiones magicae.***

IV c. 4 q. 4 sect. 2 et 3 diserte monomachiam et purgationem per ignem impugnat.

Sect. 4. De purgatione vulgari per aquam... Et observatione dignum est..., abusum denique haesisse in solo crimine maleficii seu magiae; ita tam haesisse in hoc crimine, ut sine ulla Dei invocatione, sine ullo ritu pietatis aliquid praeferente, quasi per ludum iudices hac proba abutantur quibusdam duntaxat in regionibus. Nam hodie in multis Germaniae locis, maxime Westphaliae circulo, utuntur hac proba, in maleficis indagandis; quas enim fama vel aliarum depositione suspectas habent, eas statim absque ulteriore inquisitione capiunt captasque extra urbem deducunt et in aquam frigidam ita coniiciunt, ut dextra manus sinistro pedi, sinistra vero dextro pedi sit alligata; et si supernatat, veneficas vehementius suspicantur et idcirco duriori subiiciunt quaestioni; sin submergantur, innocentes esse credunt. De hoc genere purgationis seu potius probae, hactenus inter Catholicos, quibus illibata canonum auctoritas, probe constitit illicitam esse, sed Novatores, qui a Romana ecclesia desciverunt, mire digladiati. Licitam esse mordicus de-

fendit Arnold. Scribonius [1], philosophus Marpurgensis; illicitam contra ostenderunt prolixe non Wierus [2] solum et Bodinus [3], sed insuper libellis ex professo Augustin. Lerchemerus...[4] et alii, quos citat et sequitur Godelman [5] lib. 3 de Lamiis cap. 4. Quos ego ut eiusdem sectae homines non magni facio, sed haereticos haeretico Scribonio obiicio, ut saltem intelligant Novatores, hanc esse suorum communem opinionem, a qua in iudiciis non tam temere deberent recedere. Postea prodiit libellus cuiusdam Iureconsulti, qui ex Catholicis unus et solus hucusque (quod sciam) scriptis hunc iudicum abusum defendere conaretur.

Qu. 5 sect. 1-5 impugnat eorum rationes atque examinationem aquae omnino reiicit.

Mart. Ant. Delrio S. I., Disquisitionum magicarum libri sex (Colon. Agripp. 1755).

125.

17. saec. in. *Thomas Sanchez S. I.* († 1610). *Opus morale in praecepta decalogi.*

II c. 39 n. 7. Dubium autem est, an liceat innocenti id duellum acceptare sive offerre, quando certum est fore ut actor per fraudem in iudicio ipsum opprimat et eius iniustam condemnationem impetret? Quidam neutrum licere aiunt. Quod sui defensor ille solus dicatur, qui invitus ad pugnam ab aggressore cogitur. At hic etiam ad duellum provocatus, id sponte

---

[1] *Guil. Ad. Scribonius*, De sagarum natura et potestate deque his recte cognoscendis et puniendis deque purgatione earum per aquam frigidam epistola (Lemgo 1583) et Responsio ad examen ignoti patroni veritatis de purgatione per acquam frigidam (Francofurti 1590).

[2] *Ioa. Wier*, De praestigiis daemonum et incantationibus ac veneficiis l. VI aucti et recognoti (Basil. 1563).

[3] *I. Bodin*, De la démonomanie des soirciers (Parisiis 1580). Editio germanica (Strassburg 1591).

[4] *Aug. Lercheimerus*, Bedenken von der Zauberey (Heidelb. 1585).

[5] *Ioa. Georg. Godelmann*, Tractatus de Magis, Veneficis et Lamiis recte cognoscendis et puniendis (Francof. 1601).

acceptat. Quamobrem non tamquam sui defensor excusandus est, sed tanquam invasor condemnandus. Ita docent *Abulensis* I Regum c. 17 quaest. ult. [1]; *Salon.* 2. 2. q. 64 a. 3 controvers. 3 [2]. Aliis placet licere, quando certum est innocentem damnandum ad mortem mutilationemve, secus in aliis casibus. Prius probant, quod id est subire minus malum, nempe dubiae mortis aut mutilationis periculum ad evertendum ea damna certo ob adversarii iniuriam subeunda. Nec hoc est duellum vere, sed defensio contra invadentem. Non enim re ipsa differt velle occidere proprio gladio aut alieno. Posterius probat Caietanus statim allegandus, quod defensio armis non liceat nisi contra invadentem armis. Ita sustinent *Caietan.* II 2 q. 95 a. 8 circa solutionem ad 3., in 4. causa, et in Summa, verbo *duellum*; *Navar.* summa Latina et Hispana c. 11 n. 39 et c. 15 n. 9 [3]; *Valentia* II 2 disput. 3 q. 17 punct. 1 column. 2 vers. *Est autem assertio* et versic. *Talis autem casus* et in quarta causa acceptandi duelli [4]. Et Caietanus de sola duelli ab actore oblati acceptatione loquitur, de provocatione autem, facta per innocentem ad illud, nil dicit. At Valentia de utroque loquitur et dicit utrumque innocenti illi licere. Quia (ut ait ipsemet eod. puncto I col. 5 vers. *Nec secundo*) eiusdem rationis sunt ad duellum provocare et illud acceptare, quoties causa necessariae defensionis utrumque fit. Atque limitat solus Caietanus, dummodo duellum illud de consensu principis ineatur. Sed melius alii dicunt licere huic innocenti duellum ad vitam, honorem et res familiares in notabili quantitate tuenda, quando constat omnino, iniuste et per calumniam actorem procedere, et certum omnino est fore, ut innocens haec amittat nec aliud sibi evadendi remedium suppetat. Quia si hoc duellum rationem defensionis cum moderamine inculpatae tutelae induit (ut Doctores secundae sententiae

---

[1] *Alphonsus Tostatus,* ep. Abulensis († 1455), Commentarii in 2. partem I Regum; Opera omnia (Venetiis 1596) XIII 43.

[2] *Mich. Barth. Salon* O. Eremit. s. Aug. († 1620), De iustitia et iure atque de contractibus (Venetiis 1608).

[3] Supra n. 120, 123.

[4] *Gregorius de Valentia* S. I. († 1603). Commentarii theol. in summam s. Thomae (Lugduni 1603[3]) III 799.

fatentur), ea defensio contra invasorem est licita et pro vita et pro honore et pro rebus etiam tuendis. Et ita hanc sententiam tenent *Bañes* 2. 2. q. 64 a. 7 dub. 4 corpore et in solutione ad 2. [1]; *Manuel* I tomo summae, in 2. editione, c. 73 n. 1 [2]; *Navarra* l. 2 de restitut. c. 3 in 2. part. dubio 13, in nova editione n. 289 et 290 [3], ubi merito reiicit limitationem Caietani petentis consensum principis; nam defensio iure ipso naturali absque alicuius licentia conceditur. Atque optime Bañez ait, licere innocenti in his casibus acceptare et offerre duellum ob rationem traditam, immo et non provocando ad duellum, interficere occulte actorem illum calumniosum [4], cum haec occisio sit vera defensio. Immo bene Navarra eo numero 290 ait, teneri innocentem non acceptare duellum nec indicere, si potest occulte illum occidendo id vitae, honoris, rerum familiarium periculum evadere. Quippe sic proprium vitae periculum in duello imminens vitabit et peccatum actoris offerentis aut acceptantis duellum.

Antverpiae (1614) I 321.

126.

16. saec. *ex. Franciscus Suarez S.I.* († 1617). *Commentaria in II. 2. divi Thomae.*

De caritate d. 13 sect. ult. n. 1. Utrum privatum bellum seu duellum sit intrinsece malum... Dico primo: si desit causa iusta, semper duellum est malum. Haec assertio patens est, cum hoc quoddam sit bellum ac possit etiam in illo mors hominis intercedere. Rursus duellum fieri potest ad ostendendas vires et animositatem...; sub qua etiam ratione malum est, quia illi temere se exponunt et periculo mortis et interfectionis alte-

---

[1] Scholastica commentaria in II. 2., De iure et iustitia (Venetiis 1595).

[2] *Emmanuel Rodriguez* O. Min. († 1613), Suma de casos de conciencia (Salmanticae 1607).

[3] *Petrus de Navarra,* De ablatorum restitutione in foro conscientiae (Lugduni 1593) 258.

[4] Vide infra n. 129 in fine.

rius... Idemque ex eadem ratione sentiendum de duello, quod fit ad manifestandam veritatem vel purgandum sese ab aliquo crimine, ut docet Caietanus II. 2. q. 95 a. 8 [1], et habetur c. 1 extra, de purgat. vulgari et cap. *Monomachiam,* II q. 5 [2], ubi Turrecremata, et Henricus, Quodlibeto 9. q. 32 [3]. Ratio est, quia non est revera medium ad veritatem et innocentiam ostendendam, quandoquidem aliquando innocens in duello occiditur; nec ratio sufficiens ad occidendum alium intercedit, ergo neque ad aggrediendum. Praeterea in eo agitur contra propriam charitatem; nam si provocans sit innocens, exponit se periculo mortis; si vero nocens, multo magis peccat, volens se purgare superstitioso modo. Denique Deus ipse in eo tentatur, cum per medium indebitum ab eo auxilium speretur.

n. 2-6 impugnatur sententia Caietani et aliorum, qui acceptionem duelli iudicialis in certis circumstantiis licitam declarant.

De irreligiositate c. 3 n. 8. Atque ex his infertur, merito prohiberi per s. canones probationes illas, quae purgationes vulgares appellantur, ut patet ex c. *Mennam,* II q. 5 et cap. *Consuluisti* et cap. *Monomachiam;* item c. 1 et 3 de Purg. vulg. et cap. *Ex tuarum* de Purgat. canon. [4], in quibus prohibentur purgatio vel probatio per experimentum ferri candentis et aquae ferventis; et idem est de quibuscumque operibus vel signis, in quibus miraculosa divinae virtutis ostensio expectatur vel postulatur ad veritatis occultae probationem. Et eadem ratione prohibetur monomachia in eumdem finem facta, ut patet ex eisdem iuribus et ex Concilio Tridentino, sess. 25 c. 19 de reform., ubi generaliter duellum prohibetur et consequenter etiam hic casus continetur. Nam licet duellum potissime prohibeatur propter periculum et propriae mortis et homicidii alterius, tamen, quando fit in ostensionem veritatis, etiam prohibetur ratione divinae irreverentiae, quia ibi virtualiter postulatur a Deo peculiare auxilium, ut ille cui veritas favet, victor evadat, alioquin nulla esset probatio veritatis in illo opere; illud autem

---

[1] Supra n. 120. — [2] I n. 28, 9. — [3] Supra n. 114. — [4] I n. 15, 14, 9, 28, 38, 27.

a Deo postulare magna irreverentia est. Quocirca, si ea, quae diximus, considerentur, facile intelligetur haec prohiberi quia mala sunt, et non tantum esse mala quia prohibita; nam ipsa iura dicunt haec prohiberi, quia in eis tentatur Deus; tentatio autem Dei etiam interpretativa per se mala est, seclusa humana prohibitione. Et ideo nihil refert, quod iura in una vel altera particulari actione loquantur, quia nihilominus prohibitio ratione materiae aequivalet universali, ut recte sensit divus Thomas I. 2. q. 85 a. 8 ad 3 et III q. 80 a. 6 ad 3., et Alexand. Ales. 3. p., q. 45 membr. 3 [1]; Abbas [2], Ancharanus [3] et alii in dicto c. 3 de Purgat. vulgari; Turrec. [4] in dicto cap. *Consuluisti* II q. 5.

Respondet obiicientibus, Deum ordalia saepe miraculis confirmasse atque examen eucharisticum in concilio Wormatiensi praescriptum fuisse.

Opera omnia a. *Car. Berton* illustr. (Parisiis 1856/77; XII 759; XIII 451.

127.

c. 1640. *Ioannes de Lugo S. I.* († 1660). *Disputationes scholast. et morales.*

De iustitia et iure disp. 10 sect. 8 n. 173. Hinc vero rursus infertur, acceptari posse duellum, quoties occisio in eo facta non esset occisio auctoritate privata sine necessitate defensionis. Quod contingere potest: Primo, si invasor iniustus velit te occidere nisi duellum acceptes; tunc enim, si aliter evadere non possis, licite illud acceptas, quia occisio invasoris erit tunc defensio necessaria. Secundo, si iniuste esses accusatus et damnatus vel damnandus ad mortem; quo casu oblato tibi

---

[1] Supra n. 110, 109.

[2] *Abbas Panormitanus* O. S. B. (Nicolaus de Tudeschis † 1445, Commentaria in 5 libros Decretal. et consilia (Lugduni 1547).

[3] *Petrus de Ancharano* († 1416, Commentaria super 5 libros Decretal. et super Sexto (Bononiae 1581).

[4] *Ioannes de Turrecremata* O. Pr. († 1468), In Gratiani decreta commentarius (1578).

duello cum iniquo accusatore et consensu iudicis, licet illi peccent duellum offerendo, tu licite illud acceptas, ut qua possis via propriam vitam defendas, ut cum aliis docet *Molina* disp. XVII n. 7 [1].

Ed. nova accurante *I. B. Fournials* (Parisiis 1891/94) VI 114.

128.

1731-1740. *Benedictus XIV. De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione.*

III c. 33 n. 3... Dubitabatur, an Petrus Pavesius Florentinus episcopus episcopatum per simoniam obtinuisset, et ad id dirimendum iuxta morem tunc temporis receptum b. Petrus monachus Vallis umbrosae ignem ingressurus sic Deum precatus est uti narrat abbas Desiderius, qui ad summum pontificatum evectus Victoris III nomen assumpsit, 3. lib. dialog.: [2] *Oro, Deus omnipotens, si Petrus, qui episcopus dicitur, simoniaca est peste foedatus, ne ecclesia tua amplius polluatur, iudicio s. Spiritus ostende virtutem et illaesum me per hunc ignem transire concede. Quod si nos fallacia pleni, causa invidiae ducti hanc contra eum tulimus quaestionem, ardor istius ignis me tua gratia derelictum consumat.* Cumque beatus hic Petrus per ignem illaesus omnino transisset, Alexander Papa II episcopum deposuit [3], iuxta ea quae plene referuntur apud Cardinalem Baronium ad a. 1063.

IV 1 c. 24 n. 4. Allatum est exemplum s. Petri Ignei, qui illaesus per ignem ardentem transivit... In bulla canonizationis s. Chunegundis Imperatricis... sic legitur: *Suam ergo virginitatem — illaesa* [4].

---

[1] Supra n. 122. — [2] Miracula s. Benedicti III c. 4; *Ioa. Mabillon*, Acta Sanctorum O. S. B. (Venet. 1733,40) IV 2, 466: P L CXLIX 1012. — [3] I n. 73.

[4] I n. 30. Henricus II cum Cunegunde quae ob sterilitatem vel impotentiam incapax erat liberos generandi, postmodum ut frater videtur vixisse. Quod factum legendae illi perpetuae virginitatis et iudicii Dei locum dedit. Cf. *I. B. Sägmüller*, Die Ehe Heinrichs II mit

Pertinent haec autem ad eas purgationes, quae vulgares vocantur, cuiusmodi erant: deficientibus aliis probationibus, duellum, ferri candentis contrectatio, aqua fervens et id genus alia, quae, si aliquo veteri canone sunt probata, posterioribus canonibus prohibita sunt... Iuxta receptam disciplinam nulla est hodie circumstantia, in qua vulgaribus hisce probationibus locus esse possit. Quocirca tentatum experimentum ignis a. 1498 in causa Hieronymi Savonarolae... summus Pontifex ex concilio Cardinalium reprobavit...[1]. Similiter est, quod habemus in usu sortium in s. electionibus. Licet enim eaedem fuerint adhibitae in electione s. Matthiae... et licet in concilio Barcinonensi c. 9 statutum sit [2], ad iudicium sortis esse confugiendum, si inter candidatos episcopatus nullum meritorum discrimen appareat, hodie tamen usus sortium in s. electionibus omnino prohibitus est, etiamsi agatur de personis aequalis meriti...

n. 5. Uno verbo, experimenta haec periculosa sunt et reprobanda, nisi adsit Dei promissio, uti erat aqua zelotypiae in veteri testamento, de qua Num. c. 5.

129.

18. saec. med. *Alphonsus Maria de Ligorio. Theologia moralis.*

III tract. IV c. 1 dub. 5 a. 1. Quid sit, et an liceat duellum...

n. 400. Quaeritur 2°. An liceat innocenti duellum indicere adversus falsum accusatorem, quando aliud remedium non suppetit ad evitandam iniustam sententiam mortis?

Kunigunde; Theolog. Quartalschrift 87 (1905) 78; 89 (1907) 563 et 95 (1913) 565. *Hugo Koch*, Die Ehe Kaiser Heinrichs II mit Kunigunde; Görres-Gesellschaft z. Pflege der Wiss. im kathol. Deutschland, Sektion f. Rechts-u. Sozialwissenschaft 5 (1908). *H. Michel*, Die Josefsehe Kaiser Heinrichs II; Theolog. Quartalschrift 98 (1916) 463.

[1] Cf. *Ios. Schnitzer*, Quellen u. Forsch. z. Gesch. Savonarolas. II. Savonarola u. die Feuerprobe; Veröffentl. aus d. kirchenhistor. Seminar München II 3 (1904). [2] Concil. Barcinonense II (599); *Herm. Th. Bruns*, Bibliotheca eccles. (1839) II 67.

Affirmant Lugo, Sanchez [1], Bañez [2], Caietanus [3], Azor [4], Navarrus [5], Trullench [6], apud Salmant. [7].

Ratio istorum, quia cuilibet licet vitam defendere contra iniustum invasorem, prout existimatur hic iniquus accusator. — Sed tenendum cum Salmant. ac Suarez [8], Aragon [9], Hozes [10] etc. apud eosdem, illicitum esse. Ratio, quia defensio hoc casu esset excessiva; ut probatur ex s. Thoma: dum mors non procederet tunc ex emissione duelli, sed ex iniusta sententia iudicis. Et contraria videtur sane fuisse reprobata ab Alexandro VII, in prop. 18, quae dicebat: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam iudicem, in quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare* [11].

---

[1] Supra n. 127, 125.

[2] Decisiones de iure et iustitia (Venetiis 1595) q. 74 de homicidio a. 7 dub. 4

[3] Supra n. 120.

[4] Institutiones naturales (Lugduni 1625) III l. 2 c. 5 q. 10.

[5] Supra n. 123.

[6] Opus morale (Barcinone 1701) V c. 2 dub. 13 n. 7.

[7] Cursus theol. moralis (Venetiis 1764) XXV c. 1 n. 167. Salmanticenses, uti recte annotant editores s. Ligorii, tam de acceptione duelli quam de provocatione disputant et auctores indiscriminatim et minus accurate allegant.

[8] Supra n. 126.

[9] Commentaria in II. 2. s. Thomae, II de iustitia et iure (Venetiis 1608) q. 64 a. 3.

[10] Zelo pastoral con que... Innocencio XI ha prohibido 65 preposiciones... 2ª impression, añadida con muchas questiones apendices y las 45 propos- condenadas por... Alexandro VII (Hispali 1687) Explic. prop. 18 Alexander VII n. 8.

[11] Sententia damnata fuit in decreto 18. Mart. 1666; *Henr. Denzinger*, Enchiridion symbol., Ed. 18-20 (1932) n. 1118.

INDEX ALPHABETICUS SCRIPTORUM

	PAG.
Adalbertus Salisburg . . .	48
» Trevirensis . . .	29
Adamus Bremensis . . .	30
Ademarus Cabann. . . .	31
Adrevaldus Floriac. . . .	25
Aegidius Aureaevall. . . .	37
Agobardus	68
Alanus	82
Albertus Stadensis . . .	43
Albertus M.	88
Alexander de Hales . . .	85
Alphonsus de Ligorio . .	108
Ancharano Petr. de . . .	106
Andreas Sunonis F. . . .	15
Angelus de Clavasio . . .	95
Annales Aquicinct. . . .	51
» Brunwilar. . . .	45
» Colmar.	63
» Colonienses . . .	49
» Florentini	44
» Frisingenses	39
» Stadenses	53
» Wintonienses . .	33
Anonymus Commentar. Gratiani	78
Anonymus poeta Frising. .	68
» Roskildensis . .	30
» Ticinensis . . .	64
Aragon Petr.	109

	PAG.
Atto Vercell.	69
Austrigisilis vita	20
Avitus Viennensis	67
Azor Ioa.	109
Azpilcueta Mart.	100
Bañez Domin.	109
Benedictus XIV	107
Bernardus Clarevall. . . .	44
Bodin I.	102
Bonaventura	88
Burchardus Ursperg. . . .	50
» Wormat. . .	78, 80
Caesarius Heisterbac. . .	54
Caietanus	87, 98, 109
Carolus M.	24, 25
Cassiodorus	20
Chronicon de Monte Rotomagi	59
Chronicon s. Dionysii . . .	65
» Vizeliac. . . .	48
Codex Iustinianeus. . . .	82
Coelestinus V	89
Conradus II imp.	33
Cosmas Pragensis	33
Dante Alighieri	91
Delrio Mart.	101

	PAG.
Desiderius abb.	107
Dionysius O. Carth.	94
Eadmerus Cantuar.	41
Einhardus abb.	25
Ekkehardus Iunior	27
Emo abb.	57
Ermoldus Nigellus	25
Formulae Salicae	23
Fredegarius	22
Georgius Acropolita	61
» Pachymeres	60
Gesta Treverorum	30
Gilbertus Limeric.	75
Gislebertus Montensis	52
Godelmann I. G.	102
Goffridus abb.	74
Gratianus	75
Gregorius Turonensis	20
» de Valentia	103
Guibertus de Novigento	43
Guilelmus Carnot	62
» Rhedonensis	84
Gundobadus rex	67
Hamelinus Rhedonensis	45
Helmoldus Neomonast.	46
Henricus II imp.	31
» a Gandavo	89
» Senonensis	50
Hildebertus de Lavardin	40
Hildegardis abb.	46
Hincmarus Remensis	26, 69
Hozes Bern. de	109
Ioannes Cantacuzenus.	64
» Faventinus	79
» de Friburgo	84
» Saresbiriensis	47
Ivo Carnot.	70
Laborans cardinalis	79
Ligorio Alph. de	108
Livius	19
Ludovicus VII rex	49
Ludovicus IX rex	62
Lugo Ioa. de	106
Manasses Lingonensis.	51
Molina Ludov. de	99
Navarrus Mart.	100
Nicolaus de Lyra	92
» de Tudeschis	106
Ordericus Vitalis	38
Otto III imp.	28
Panormitanus abb.	106
Parlamentum Paris.	59, 65
Paucapalea.	75
Paulus Diaconus.	23
Petrus de Ancharano	106
» Blesensis.	79
» Cantor	80
» de Murrhone	89
» de Navarra	104
Philippus II Augustus	57
Philippus IV rex	62
Possinus Petr.	60
Raimundus de Pennaforte	81
Regino Prumensis	29, 78
Robertus rex	31
Robertus Pullus	76
Rodriguez Emman.	104
Rogerus de Hoveden	35
Rufinus mag.	76
Salmanticenses	109
Salon M. Berth.	103
Sanchez Th.	102

	PAG.
Saxo Grammaticus	29
Scribonius Guil.	102
Sicardus Cremon.	80
Silius Italicus	20
Silvester de Prierio	95
Stephanus Tornac.	77
Suarez Franc.	104
Synodus Trident.	105
Thietmarus Merseburg.	28, 30
Thomas de Aquino	87
» » Vio	87, 98, 109
Tostatus Alph.	103
Trullench Aeg.	109
Turrecremata Ioa. de	106
Valerius Maximus	20
Velleius Paterculus	18
Victor III	107
Widukindus Corbeiensis	30
Wier Ioh.	102
Wipo	32

208
G862
40729
BROWE, S. I., PETRUS
AUTHOR
De Ordaliis Vol. II
TITLE
Series Theologica 11
DATE DUE
BORROWER'S NAME
OCT 15 71
Charles McCurry, Law Lib
STORAGE - CBPL
NO. 45
40729